



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1541. usque ad annum 1546

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1770**

**VD18 90118510**


Liber CXL.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66615)



HISTORIÆ  
ECCLESIASTICÆ  
LIBER. CXL.



PAULUS III. ROM. PONT.  
CAROLUS V. IMP. OCC.

§. I.

*Cæsar Ratisbona in Italiam pro-*  
*fectus.*

Sæcul. XVI.  
A.C. 1541.

Solutis Ratisbonensibus Comitibus De-  
cretum die vigesima octava Julii fir-  
matum, ac publice prælectum fuit, p. 221.  
postea vero Imperator ex Germania di-  
Hist. Eccles. Tom. XXXVIII. A sce-  
Ant. de Vera  
hist. Car. V.  
Paul. Jov.  
hist. l. 40.

**Sæcul. XVI.** scedere firmo statuit animo, & recta  
**A.C. 1541.** in Italiam contendit, eo fine, ut Papam  
 ad Concilium quantocius celebrandum  
 induceret, peractoque hoc negotio de-  
 mum in Africam trajiceret, bellicam,  
 quam dudum præconceperat, expedi-  
 tionem suscepturus. Hanc ob rem Im-  
 perii curam Ferdinando fratri suo de-  
 mandavit: cum vero jam antea cum  
 summo Pontifice Paulo III. de mutuo  
 colloquio Lucæ habendo datis literis  
 convenisset, eo se contulit, comitantibus  
 eum Procerum quam plurimis, qui bel-  
 li, quod Turcis Algerianis inferre decre-  
 verat, comites esse desiderabant. Vi-  
 cissim quoque Pontifex Romanæ urbis  
 regimen Carpiensi Cardinali suo Vica-  
 rio ac Sedis Apostolicæ Legato reliquit,  
 atque ipse, quamvis gravi senio pressus,  
 Lucam profectus est, ibidemque quarto  
 ante Cæsaris adventum die pervenit, in  
 Palatio Episcopali diversatus. Comi-  
 tabantur Papam sexdecim Cardinales,  
 viginti quatuor Prælati, atque Ministro-  
 rum quam plurimi unacum Romanorum,  
 Franciæ & Lusitaniæ Regum Legatis,  
 præter quos aderant etiam Venetæ Rei-  
 publicæ, nec non Florentiæ & Ferrariæ  
 Ducum Oratores, quos sequebatur Meli-  
 tensis Architalassi Legatus unacum o-  
 ctodecim Ordinis Equitibus.

§. II.

## §. II.

Sæc. XVI.  
A. G. 1541.*Imperator maritimo itinere Viare-  
gio Lucam delatus.*

Cum vero Cæsar per mare iter faceret, die duodecima Septembris Viaregensem Reipublicæ portum ingressus est, ubi eum duo nobiliores Lucensium Deputati exceperunt, quibus quoad utrumque latus stipatus Cæsar iter suum licet brevissimum proferebatur, ibidemque obviam habuit legationem opido magnificam, nam constabat ea ex triginta nobilissimis Hispaniæ Optimatibus, quos Hercules Estensis Ferrariæ Dux præter centum Nobiles sequebatur, eos vero præibat Octavius Farnesius Cæsaris gener ac Pontificis nepos: cum autem Cæsar quinto lapide ab urbe distaret, a duobus Cardinalibus Sadoletto & Farnesio Pontificis nepote officiosa salutatione excipiebatur, nec minus cuncti etiam urbis Magistratus Imperatori extra portas obviam effusi sunt, atque eundem ad Cathedralē S. Martini Ecclesiam deducebant, ubi eum summus Pontifex excepit, cujus pedes religiose Cæsar deosculatus est, ac post breve utrinque colloquium ambo ad Palatium ipsis designatum recesserunt.

A 2 §. III.

Sæc. XVI.  
A C 1541.

§. III.

Colloquium Papam inter & Cæsarem Lucæ habitum.

Paul. Jov.  
h. st. l. 30.  
Pallav. hist.  
Trid. lib. 4.  
c. 16.

Erat autem Papam inter & Cæsarem conventum, quod absque omni apparatu, ac sine solemniori comitatu visum ire, atque officii causa invicem convenire vellent, Cæsarque permetteret, ut prior eum Papa semel duntaxat, & quidem sine solito comitatu inviseret, reliqua vero colloquia in Pontificis cubiculo haberentur (\*). Ceterum præcipuum hujus congressus argumentum versabatur circa Concilium & bellum in Turcas movendum, & quantum ad primum articulum juxta quorundam relationem propositum fuit, quod Synodus Lucæ convocanda esset, Magistratus vero allatis excusationibus perdemisse hanc provinciam deprecari dicebantur; verum hæc relatio vero haud similis videtur: id tamen firmiori innititur rationi, quod Papa Concilii celebrationi annuens Vicentiam, ad quam urbem jam antea Concilium convocaverat, pro Synodi

(\*) Hanc in rem Paulus Jovius, quem Continuator allegat, duntaxat hæc habet: *Ter Cæsar ad mutua colloquia Pontificem adiit, ille Cæsarem semel.* De ejusmodi autem pacto Pallavicinus omnino silet.

nodi loco designaverit, Venetorum au- Sæcul. XVI.  
A.C. 1541.  
tem Republica obstiterit; cum enim  
ad suas urbes tam numerosum Conven-  
tum admittere haud consultum censeret,  
nec ullatenus permittere vellet, ut intra  
illius ditiones de bello contra Turcas a-  
geretur, hinc respondebant Veneti, quod  
foedus, quod nuper cum Solimano fir-  
massent, totam rei faciem immutasset,  
proin Papæ votis haud ultra cedere va-  
lerent, eo potissimum nomine, quod ea  
res haud levem Sultano suspicionem in-  
gereret, perinde ac si eo fine Conventus  
ageretur, ut ibidem omnes Christiani  
Principes adversus Turcarum Impera-  
torem armorum societatem percutere  
meditarentur. Accepta horum repul-  
sa Pontifex in aliis consiliis opem quæ-  
rere compellebatur.

Cum ergo ejus conatibus prosper ab-  
luderet successus, Cæsari totis viribus  
persuadere nitebatur, ut dimissa expedi-  
tione in Africam, potius cunctas armo-  
rum suorum vires Turcis opponeret, at-  
que Hungariam, ubi periculum gravius  
magisque urgens videbatur, liberaret.  
Verum Cæsar Pontifici declarabat, quod  
nullo prorsus pacto a concepto naviga-  
tionis Africanæ proposito desistere vel-  
let.

A 3

§. IV.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1541.

§. IV.

*Papa Carolo V. valere jusso Romam reversus.*

Ergo Imperator accepta Pontificis benedictione Luca discedit, ac Paulus III. quoque itineri sese accinxit, & per Pistorienses montes primo Bononiam, demum vero Romam contendit, quam urbem sine omni pompa ingressus est; ita enim prius caverat, ut sumptibus atque molestiis parceret (\*). Biduo post in toto Ecclesiæ Principatu Anni sacri solemnitatem promulgari jussit, publicasque supplicationes decrevit, atque speciales orationes fundi præcepit, eo fine, ut Deus cœlesti favore, ac potenti auxilio Cæsaris, qui vitam suam contra fidei hostes exponere aggrediebatur, consiliis armisque feliciter adspirare dignaretur. Id quoque in Germania fieri per Nuntium suum præcepit, Jubilæi tamen gratias ad universum orbem extendi

(\*) Ut Continuator Papam a celebrando Concilio alienum pro more suo depingere posset, subdole reticuit ea, quæ in hisce colloquiis Papam inter & Cæsarem conclusa fuisse ceteri Scriptores memorarunt, hos inter Paulus Jovius hæc refert: *Nihil magis eo colloquio decretum est, quam ut Concilium, quod petebat Cæsar & Pontifex, in annum sequentem indiceretur.*

tendi noluit, veritus, ne Galli ac Veneti Sæcul. XVI. A. C. 1541.  
ejusmodi solemnitatis promulgationem præpedirent.

§. V.

*Sex novi Episcopatus ab Angliæ  
Rege erecti.*

Cum interea Carolus V. Imperator ex- Burnet. hist. tra Imperii sui fines victricia arma reform. l. 3. circumferre pararet, Henricus VIII. An- p. 412. &c.  
gliæ Rex totus ad id erat intentus, ut  
intra Regni sui ambitum novos redditus  
assignaret. Jam anno priori mense De-  
cembri novos quosdam Episcopatus eri-  
gere cœperat, ac præprimis Westmona-  
steriensem Abbatiam ad Episcopalem  
Ecclesiam evexit, atque in ea Decanum  
unacum duodecim Canonicis instituit:  
hoc autem anno Christi millesimo quin-  
gentesimo quadragesimo primo Wer-  
burgense Monasterium in Cestriensi urbe  
situm in Episcopatum commutavit, ibi-  
demque præter redditus Decano assigna-  
tos etiam sex Canonicorum, ut vocant,  
præbendas fundavit, nec minus Osna-  
ense in Oxoniensi urbe, & Bristolliense  
S. Augustini Cœnobium, nec non Pe-  
terburgense pro Episcopatibus selegit.  
Post hæc potissimarum Cathedralium  
Ecclesiarum Prioratus, quos inter præ-  
cipui erant Cantuariensis, Viacomien-  
sis, Dunhelmensis, Vigorniensis, Carleo-

A 4

la-

Sæc. XVI.  
A.C. 1541.

lanus, Roffensis & Heliensis, in Decanatus ac Canonicatus convertit, vel in alios quosdam usus Ecclesiasticos destinavit. Insuper Cranmerus primas in id curas impendit, ut in qualibet Ecclesia Cathedrali quidam assignarentur redditus pro Theologiæ, ac Græcæ & Hebraicæ linguæ Professoribus, nec non pro alendis, atque instituendis quibusdam juvenibus, qui postea ad varias Diœceses mitterentur. Verum Cranmeri propositum successu caruit, cum Catholici cuncta illius consilia evertent, probe conscii, quod per ejusmodi innovationes Lutheri hæresis eo facilius per universum Regnum diffunderetur, cum hic ipse Præsul hisce Sectatoribus faveret.

## §. VI.

*Fidei expositionem rejicientes a Rege tanquam hæretici declarati.*

*Herbert. hist.  
Henr. VIII.  
Burnet. l. c.  
p. 414.*

Vix Episcopatus ita recens fuerant erecti, cum illico ceterorum sollicitudo ad Religionis causas sese extendere: postquam enim liber de expositione fidei, cujus supra meminimus, typis excusus prodierat, Rex eundem edita lege firmavit, vi cujus tanquam hæreticos declarabat omnes & singulos, qui aut plura aut pauciora, quam in præfato libro continentur, credere præsumerent:  
cum

cum vero nullatenus impetrare potuisset, ut ejusmodi edicto æqualis omnium consensus accederet, atque aliunde quempiam ob hujus legis transgressionem castigatum fuisse, Scriptores fileant, gravi conjecturæ locus est, quod Rex lege clam edita prohibuerit, ne sex articulorum edictum saltem sub capitis pœna executioni mandaretur.

Sæcul. XVI.

A.C. 1541.

## §. VII.

*Henrici VIII. metus ob Scotiæ Regem.*

Quamvis omnes in Anglia Henrici Regis voluntati cœco obsequendi studio cederent, nihilominus hic Princeps anxiiis curis agitabatur ob Scotiæ Regem; hic enim, licet Henrici nepos esset, jure eidem offensus erat, ut facile Anglis, si novam regiminis normam indignarentur, atque in Septentrionalibus Provinciis magno numero confluerent, præsto esse potuisset. Præprimis vero pertimescebat Henricus, ne Scotiæ Rex, cum Catholicorum consiliis exacte inhæreret, immoto Religionis studio adactus contra eum quicquam moliretur; jam enim plures effluxerant anni, intra quos hæretici in Scotia rogi supplicio plectebantur, cum vero Sectariorum numerus in dies magis magisque in Regno cresceret, hinc eorum quoque factio po-

Sæcu'. XVI.  
A. C. 1541.  
*Buchanan.*  
*hist. Scot.*

tentia, atque auctoritate augebatur, ut proin Jacobus V. hinc Lutheri affectis Angliæ Regi faventibus cingeretur, illic vero se firmiter munitum crederet viribus Catholicorum, qui Henrico Regi toto studio adversantes nullum non movebant lapidem, quatenus Scotiæ Regem eo inducerent, ut omnes ab avita Religione alienos castigaret, quorum partes ac consilia Jacobus etiam sequebatur.

## §. VIII.

*Colloquium ab Henrico oblatum, atque a Scotiæ Rege rejectum.*

Cum igitur Angliæ Rex probe cognosceret, quod Jacobus Catholicorum, qui toto studio Sedi Apostolicæ adhærebant, studia sequeretur, haud parum vereri cœperat, ne hi tandem Regem suum eo inclinarent, ut adversus Anglos cum summo Pontifice ac Cæsare armorum societatem iniret. Hic timor potissimum exinde augebatur, quod nullum ultra sibi præsidium repositum esse cerneret in Galliarum Rege, qui, licet veteri amicitia Anglis junctus esset, nunc a pristino suo in Angliæ Regem studio plurimum remiserat, ac Scotiæ aulam pro arbitrio moderari solitus erat. Hac igitur ratione permotus Henricus omnes dexteritatis artisque suæ fontes

ex-

exhaurire statuit, eo consilio, ut Scotiæ Regem ad suas partes pertraheret, eumque eo induceret, ut is suo erga Sedem Apostolicam obsequio nuntium mitteret, quam in rem Henricus quemdam Deputatum ablegabat, qui Eboraci colloquium haberi peteret. Equidem Jacobus propositioni factæ annuit, seque Eboracum petiturum promisit, quin imo Henricus jamjam eo venerat Jacobi adventum præstolaturus. Verum Scotiæ Regis amici Religionis Catholicæ studiosissimi funesta ejusmodi colloquii mala tanto rationum pondere eidem exponebant, ut promissam consultationem honesto prætextu eludere decerneret. Cum ergo jamjam Henricus Eboraci adventantem Scotiæ Regem expectaret, derepente ad eum Scotiæ Rex literas dedit, quibus ipse hujus colloquii opportunitatem subito præpeditam officiosa excusatione exponebat. Verum hac repulsa Angliæ Rex tantopere offendebatur, ut honori suo labem exinde iniustam ratus, paulo post utrumque Regnum capitali inimicitia involveret.

## §. IX.

*Sarisberiensis Comitissa Poli Cardinalis Mater extremo supplicio affecta.*

Ni-

Sæcul. XVI.  
A.C. 1541.

*Ant. publ.*  
*Angl. t. 14.*  
*p. 652.*

Nihilominus hæc utriusque Regis diffidia funestas Catholici populi clades in Anglia minime impediabant; quippe ibidem mortis pœna plectebantur omnes, qui palam summi Pontificis partes tuebantur, aut Henrici Regis aures adversari credebantur. Ut vero crudelitatis libere fræna laxaret, in mandatis dedit, ut Sarumensis seu Sarisberiensis Comitissa Cardinalis Poli Mater extremam subiret sententiæ severitatem, cujus tamen executionem per integrum biennium differebat, spe fretus, Cardinalem hac dilatione permotum iri, ut cum Rege paulo indulgentior esset, nec ultra calamum adversus eum stringeret: cum vero in Septentrionalibus Regni sui Provinciis novas seditiones erumpere cerneret (\*), hanc Matronam virtutibus adeo clarâ capite plecti jussit, cujus morte Plantagenetarum nomen & genus uno ictu excisum fuit.

§. X.

(\*) Injuria huic nobilissimæ feminae ejusque filio inferitur, si ob motas seditiones capite plexa diceretur: de ea enim Scriptores cum Florimundo Ræmundo l. 6. c. 4. hæc referunt: *Ea damnata capite, quod literas a filio accepisse diceretur, & quinque Christi vulnerum imaginem in pectore gestasset.*

## §. X.

*Franciscus Xaverius in Indias prædicatum missus.*Sæcul. XVI.  
A. C 1541.*Hor. Turfel.  
in vit. Franc.**Xav. l. i. c. 11*

**I**nterea in Lusitania Franciscus Xaverius & Simon Rodericus Ignatii Loyolæ Discipuli continuo studio sese paratos tenebant, ut in novo Orbe Christi fidem diffundere, lumenque Evangelii inferre possent; priusquam vero prætoriam navis, quam unacum Martino Alphonso Sosa regiæ classis Præfecto conscenderent, portu solvere possent, ambo in Lusitania animarum salutem invigilabant, tam prospero laboris successu, ut nonnulli aulæ Proceres Regi auctores existerent, quatenus omisso Indiæ juvenandæ consilio Apostolicos hosce Viros in Lusitania retineret. Percepto hoc Primorum consilio ambo protinus datis Romam literis Ignatium Patrem suum efflictim rogabant, ut apud summum Pontificem Indiæ navigationis successum promoveret. Verum Paulus III. totam rem ad Lusitanorum arbitrium rejiciendam censuit; unde Ignatius ambobus Sociis suis rescripsit, significans, quod hæc sibi mens foret, vi cujus hæc in re Lusitani Regis voluntati acquiescerent, ceterum vero sibi commodissimum videri ajebat, rem omnem ita dividere, ut Xaverius in Indias pergeret, solus

Sæc. XVI. lus vero Rodericus in Lusitania hære-  
 A.C. 1541. ret. Annuit quoque Rex, non sine in-  
 genti lætitia Xaverii, qui immodico in-  
 fidelibus Evangelium annuntiandi ardo-  
 re æstuabat.

## §. XI.

*Pontificium Evangelicæ expeditionis  
 Diploma Xaverio a Lusitanicæ  
 Rege traditum.*

*Turfelin l. c.* Postquam igitur opportuna Indicæ pro-  
*c. 12.* fectionis dies appropinquaverat,  
*Maffec hist.* Rex Francisco figillatim exposuit, qua  
*l. 12.* ratione in omnibus locis Lusitano Im-  
 perio subditis ad dilatandam Christi fi-  
 dem auctoritatem suam in Indos exer-  
 cere valeret, postea vero eidem quatuor  
 porrexit Diplomata, quæ Francisco tra-  
 denda summus Pontifex Regi submise-  
 rat. Horum uno Apostolicus Legatus  
 in novo Orbe constituebatur, altero au-  
 tem concedebatur eidem omnis pote-  
 stas, quæ ipsi pro fide Catholica per to-  
 tum Orientem propaganda ab Ecclesia  
 indulgeri potuisset. Tertio Xaverius  
 Davidis Æthiopiæ Regis patrocínio  
 commendabatur, & quartum commen-  
 datitias complectebatur literas ad om-  
 nes insularum & continentis Principes  
 ac Rectores, qui a Promontorio Bonæ  
 Spei usque ad peninsulam ultra Gan-  
 ge-

getem suum Imperium protendunt. In-Sæcul. XVI.  
 super Rex suis Ministris præcepit, ut A C. 1541.  
 Xaverio cuncta impigre suppeditarent,  
 quæ tam pro ipsius, quam suorum su-  
 stentatione necessaria forent; duo enim  
 pii Sacerdotes se Francisco itineris so-  
 cios adjunxerunt, quorum primus, quem  
 Ignatius Roma ad eundem miserat, Pau-  
 lus Camers, alter vero, quem Xaverius  
 Ulyssipone agens sibi aggregaverat,  
 Franciscus Marfilla nuncupabatur. Ce-  
 terum etsi omnia eis benigne suppete-  
 rent, sancti tamen hujus Viri modestia  
 cum Regis munificentia certabat; quip-  
 pe præter paucos libellos pio usui ido-  
 neos duntaxat tetricum rudioris panni  
 centonem secum sumpsit, ut summa hye-  
 mis frigora, quæ circa Bonæ Spei Pro-  
 montorium subeunda noverat, arcere  
 posset. Non deerant alii, qui Xaverium  
 urgerent, ut saltem secum duceret famu-  
 lum, ipsi necessariis in rebus ministrat-  
 urum: ast hic Vir Apostolicus eis sic  
 respondit: *Mihi vero harum manuum usus  
 quamdiu erit, alio haud indigebo ministerio.*

## §. XII.

*Xaverius conscensa navi in Indiam  
 profectus.*

Postquam Xaverius solidos octo men-  
 ses Ulyssipone hæserat, tandem die o-  
 ctava Aprilis anno Domini millesimo  
 quin-

Sæcul. XVI. quingentesimo quadragesimo primo e  
A. C. 1541. portu solvit, conscensa navi, qua novus  
 Indiæ Prætor vehebatur. Erat præto-  
 ria hæc navis non solum nautis, sed &  
 Ministris, militibus, mercatoribus, &  
 mancipiis referta, ita, ut eorum nu-  
 merus circiter ad mille homines ascen-  
 deret: inter tantam ergo eorum turbam  
 unica erat Xaverii occupatio, ut horum  
 peregrinantium saluti operam daret,  
 hinc quosdam Christianis imbuit præ-  
 ceptis, & depravatos aliorum mores  
 correxit, universos vero ad eluendas  
 animæ sordes invitavit, nec frustraneo  
 profus conatu; temere enim jurandi  
 consuetudo sublata, & multorum odia  
 penitus restincta fuere; eoquod in Xa-  
 verio perpetua esset oris hilaritas, qua  
 omnium animos comitatis dulcedine de-  
 mulcebat. Unde homines quoque fla-  
 gitiis sceleribusque penitus immersti, at-  
 que a religiosorum Virorum consuetu-  
 dine maxime abhorrentes jucundissimam  
 illius familiaritatem, sermonemque de  
 Deo avidius expetebant: prædicabat  
 autem Xaverius stans prope longiorem  
 malum singulis diebus dominicis, nihil-  
 que alimenti sumebat præter id, quod a  
 nautis mendicato acceperat; jam primo  
 enim navigationis die Proregis conviva  
 esse recusabat, nec sibi de ejus mensa ci-  
 bos ministrari permittebat. Porro mor-  
 bi

bi contagiosi, quibus navigantes dire Sæc. XVI.  
 vexabantur, ingens Xaverio erant cha- A. C. 1541.  
 ritatis incitamentum; omnibus enim  
 infirmis solus ministrare gestiebat, eis-  
 que infima quæque etiam ad nauseam  
 provocantia exhibebat officia, suumque  
 cubile in Xenodochium convertens, il-  
 lud peste infectis replebat, ipse vero,  
 dum quieti indulgendi necessitas urge-  
 bat, in summo navigii tabulato cubans,  
 caput suum ad funium fasciculos velut  
 ad pulvinar reclinabat.

## §. XIII.

*Franciscus Xaverius Mozambicum  
 delatus, atque ibidem hyemare  
 coactus.*

Tandem vero Sofa Indiarum Pro-Rex Turfelin l. 1.  
 Bonæ Spei Promontorium præter c. 15 & 16.  
 vectus, per longas itinerum ambages  
 plurimas tempestates feliciter eluctatus  
 est, ac naufragii metu in lætitiâ verso,  
 ventisque secundis prospere afflantibus  
 ad alterum Africæ latus, quod meri-  
 diem inter & Orientem situm est, navi-  
 gare cœpit. Inde vero sexcentas ferme  
 leucas ceteri a Promontorio provecti,  
 cum quinque jam integros menses in  
 perpetua, eaque admodum incommo-  
 da navigatione absumpsissent, tandem  
 maximis defuncti periculis exeunte  
*Hist. Eccles. Tom. XXXVIII. B men-*

**Sæcul. XVI** mense Augusto Mozambicum pervenerunt. **A. C. 1541.** Hic Zanguebariæ portus est, qui Septentrionem versus Abyssiniæ, ad meridiem vero mari Æthiopico interjacet, atque e regione Madascarensis insulam respicit.

## §. XIV.

*Solemnis Votorum sponsio ab Ignatio, ejusque Sociis facta.*

**Bouh. vie de S. Ign. l. 3. p. 217. Orl. in hist. Soc. l. 3. n. II.** Dum hæc interea gerebantur, hoc anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo primo die decima septima Aprilis in festo Paschatis Ignatius Societatis suæ regimen in se suscipere cœperat, omnes vero ejus Socii, qui Romæ agebant, die vigesima secunda ejusdem mensis septem insigniora urbis templa, quæ præcipuæ vocantur *Stationes*, obibant, postea vero solemnibus votorum sponsione sese Deo devovebant. Celebrabant hanc solemnitatem in templo D. Pauli, ubi Ignatius peracta re divina ante Dominici Corporis sumptionem excepit solemnem Sociorum suorum professionem, quæ erat hæc: *Ego N. promitto Deo perpetuam paupertatem, castitatem & obedientiam juxta formam vivendi in Bulla Societatis Jesu. Insuper promitto specialem obedientiam summo Pontifici circa Missiones in Bulla contentas. Rursus promitto me obediturum circa erudi-*  
tio-

*tionem puerorum in rudimentis fidei juxta eandem Bullam.* Solus tamen Ignatius cunctos hosce articulos immediate summo Pontifici promisit, ceteri vero ejusmodi promissa fecerunt S. Ignatio tanquam eorum Præposito ac Capiti; quapropter in signum debitæ submissionis atque obedientiæ eidem humiliter manus deosculabantur.

Sæc. XVI.  
A.C. 1541.

## §. XV.

*Picæ actiones Romæ a S. Ignatio peractæ.*

**N**uncupatis hisce votis novus hic Præpositus primas eo curas intendit, ut Christianæ doctrinæ rudimenta traderet. Selegerat ad pium hoc exercitium Ecclesiam S. Mariæ de Strata; hæc enim ejus Sociis, qui prius non nisi domum mercede conductam incolebant, dono data fuerat, in qua Ecclesia Ignatius per sex omnino hebdomadas continuo sacrum hoc ministerium obibat: priusquam vero suas Constitutiones elaborasset, pro privatis Societatis suæ membris quædam generalia conscripsit statuta, cumque ejusdem Socii a summo Pontifice ad diversas Christiani Orbis Provincias mitterentur, & quidem Salmeron & Broetus in Hiberniam, Jacobus Lainez Venetias, Petrus Faber Madritum, Bobadilla & Claudius le Jay

Orl. n. 14.  
Et seq.

**Sec. XVI.**  
**A.C. 1541.**

Viennam ac Ratisbonam contenderent, Ignatius Romæ persisteret, unice pietatis Christianæ exercitiis intentus, præcipue vero iis, quæ animarum salutem respiciunt, unde in Xenodochiis, aliisque locis ægrotantibus inserviebat, domumque constituerebat, in qua omnes Judæi, qui sacro fonte ablui peterent, fidei doctrinis imbui possent; ut vero pium hoc opus perficere posset, plurimorum pietatis studiosorum liberalitatem sollicitabat. Insuper cum eo tempore Romæ plures tam nuptæ quam solutæ mulieres impellente inopia ex prostituta pudicitia quæstum facere cogentur, aliam domum, in qua hæc tutum pudoris perfugium haberent, erigere statuit, tam prospero successu, ut concurrentibus quam plurimis Romanæ urbis Primoribus intra breve temporis spatium Divæ Magdalenæ conversarum, ut vulgo dicitur, cœnobium tam pro conjugatis, quam innuptis exurgeret. Nec hic stetit pia Ignatii sollicitudo; quippe toto studio pro alendis orphanis annuos redditus stabilire intendit, nec defuit sacro proposito secundus omnino effectus; eodem enim anno duæ in urbe habitationes, quæ adhucdum florent, constitutæ sunt, in quibus pueri & puellæ parentibus orbati ab ætatis periculis, & inopiæ molestiis eripiuntur. His ita fe-  
li-

liciter peractis Ignatius residuam anni partem in efformandis Societatis suæ legibus, quæ anno sequenti prodierunt, solerter impendit.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1541.

## §. XVI.

*Ghinucii Cardinalis obitus.*

**H**oc anno Ghinuccius, Fregosius & Caraffa Cardinales fati cedere cogebantur. Horum primus Senis natus ibidem primo Canonicus, dein Cameræ Apostolicæ Clericus & Auditor renunciatus est, nec minus signandis literis Apostolicis præfectus, sub Julio II. Pontifice secundæ Concilii Lateranensis Sessioni interfuit, a Leone vero X. hujus Successore in Angliam ad Henricum VIII. tanquam Legatus decernebatur, ibidemque diu commoratus summa Regis benevolentia potiebatur, atque ab eodem ad Episcopatum Vigornensem nominatus, insuper a summo Pontifice Asculanam Ecclesiam obtinuit. Referunt quoque nonnulli, quod idem a Clemente VII. ad Melitensem electus, ac demum ad Cavallicensem Episcopatum translatus fuerit, interim id certum est, quod a Paulo III. Papa die vigesima Maji anno Domini quingentesimo trigesimo quinto supra millesimum inter Cardinales Presbyteros cooptatus, & biennio post ad Carolum V. Imperatorem in

*Ciac invita  
Pont. t. 3. p.  
569.  
Ughel. in  
Italia sacra:  
Aubery vit.  
Card.  
Guicc. l. 16.*

B 3

fidei

Sæc. XVI. fidei negotiis Legatus in Germaniam  
 A.C 1541. missus fuerit. Obiit hoc anno Romæ  
 die tertia Julii, sepultus in Ecclesia S.  
 Clementis.

## §. XVII.

*Fregosius Cardinalis mortuus.*

Ciac. p. 660. **E**rat Fridericus Fregosius patria Ge-  
 Aubery l. c. nuensis, Augusti Gentilis Monte-  
 Sadol. in ep. feltriæ filius, nec non Octaviani Genuæ  
 Foliet. hist. Principis, ac postea Gubernatoris fra-  
 Gen. l. 12. ter. Hic sub Guidubaldi Urbini Ducis  
 Avunculi sui cura liberaliter educatus,  
 ejusdem opera a Julio II. Papa Salerni-  
 tanam primo, dein progressu temporis  
 Eugubinam Ecclesiam administrandam  
 accepit; demum vero ad Leonem X.  
 tanquam Genuensis Reipublicæ Lega-  
 tus decernebatur: cum autem Octavia-  
 nus ejus frater cum Gallis de Genuen-  
 sis domini regimine ageret, Fridericus  
 Genuam reversus est, ut fratri suo in pu-  
 blica Reipublicæ administratione opem  
 consiliumque ferret; cum vero Corto-  
 lius celebris ille Barbarorum Pirata  
 cum viginti triremibus maritimam Li-  
 guriæ oram devastaret, atque intra bre-  
 ve temporis intervallum octodecim na-  
 vigia mercatorum mercibus ac frumen-  
 to onusta deprædaretur, tam prosper  
 hujus Barbari successus cunctos Genuæ  
 mercatores summo terrore affecerat,  
 hinc

hinc in Senatu decretum, ut classis in-  
strueretur, ejusque imperium Friderico  
Fregosio committeretur. Hic Corto-  
lium in Bisertano portu adortus, inde  
Tunetum atque ad Gerbesinam Insulam  
procurrens tandem spoliis, ac victoriae  
gloria insignis Genuam reversus est:  
Cum autem hæc urbs anno salutis mil-  
lesimo quingentesimo vigesimo secundo  
exspoliaretur ab Hispanis, qui eam eo  
tempore, quo de deditiois legibus age-  
batur, clandestina vi occupabant, Octa-  
vianus Fregosius ibidem captus fuit,  
Fridericus vero fuga salutem quærens,  
dum Gallicam navem tum Genuæ in  
portu hærentem conscendere parabat,  
fallente vestigio in mare decidit, ex quo  
semianimis extractus est: hoc autem  
vitæ periculum feliciter eluctatus, a  
Francisco I. in suo Regno perbenigne  
exceptus, S. Benigni Abbatis Divionæ  
sita, ad quam se receperat, auctus fuit,  
ibidemque, cum linguarum, ac præci-  
pue Græcæ & Hebraicæ peritia clarus  
esset, sacræ Paginæ studio, pietatisque  
exercitiis totum se mancipavit, elapsis  
denique aliquot annis in Italiam rediit,  
ubi Eugubinam Ecclesiam regendam su-  
scipit, ac non nisi, ut fertur, minis vi-  
que compulsus sacram acceptavit pur-  
puram, quam ei Paulus III. Papa anno  
Christi millesimo quingentesimo trigesi-

Sæcul. XVI.  
A.C. 1541.

Sæcul. XVI. mo nono die duodecima Decembris con-  
A.C. 1541. tulit. Tandem in Eugubina civitate  
 anno Salvatoris nostri millesimo quin-  
 gentesimo quadragesimo primo die vi-  
 gesima secunda Julii animam Deo red-  
 didit, tumulumque habuit in Ecclesia  
 Cathedrali, in qua eidem cives monu-  
 mentum ex marmore affabre elabora-  
 tum cum imposita illius effigie exstruxe-  
 rant. Scripsit tractatum de modo oran-  
 di, nec non meditationes in Psalmum  
 centesimum trigesimalum, & centesimum  
 quadragesimum quintum præter quas-  
 dam epistolas ad Leonem X., Corte-  
 sium, Sadoletum, pluresque alios.  
 Harum nonnullas refert Cardinalis  
 Bembus.

## §. XVIII.

*Cardinalis Caraffæ extrema.*

*Ciac. l. c.*  
*p. 489.*  
*Anmirato*  
*famil. Neap.*  
*Aldimari*  
*hist. della*  
*fam. Carafa.*

Vincentius Caraffa nobilis Neapolita-  
 nus Parentes habuit Fabritium Car-  
 raffam & Aureliam Tolomejam, fuitque  
 nepos Oliverii Caraffæ Cardinalis, ex  
 cujus cessione ex Ariminensi Episcopo  
 in Neapolitanum Archiepiscopum eve-  
 ctus est. Julius II. Papa sæpius qui-  
 dem Vincentium sacra purpura ornare  
 exoptabat, eo quod illum in molestissimis  
 etiam Italiæ temporibus semper in Ro-  
 manam Ecclesiam valde propensum,  
 eamque non raro magna pecuniarum  
 sum-

fumma ab eo adjutam agnovisset; ve-  
 rum semper hujus Papæ consilio vehe-  
 menter obluſtabatur Ferdinandus Rex  
 Catholicus; cum enim Vincentius ejus  
 rebus adversaretur, verebatur Rex, ne  
 is, cum aliunde in Neapolis Regno plu-  
 rimum potentia valeret, Cardinalitia  
 etiam dignitate auctus nimium auctori-  
 tate ac populi favore excresceret. In-  
 terfuit is tanquam Archiepiscopus Con-  
 cilio Lateranensi Romæ habito sub Ju-  
 lio II. & Leone X. eoque absoluto post  
 undecimum ab obtento Archiepiscopa-  
 tu annum Neapolin pervenit, cum au-  
 tem solemnī pompa urbem ingredi vel-  
 let, ingens inter Neapolitanos, & Ca-  
 puani generis Nobiles contentio exorta  
 est; unusquisque enim sibi jus umbra-  
 culum deferendi arrogabat. Verum  
 Raymundus de Cardona Neapolitani  
 Regni Pro-Rex litem diremit, atque in  
 nobilium Capuanorum favorem contro-  
 versiam sedavit: Itaque Archiepiscopus  
 anno post Christum natum millesimo  
 quingentesimo decimo octavo die duo-  
 decima Junii Neapolin solemniter in-  
 gressus est, evolutis autem aliquot an-  
 nis Romam rediit, cum ingentibus ho-  
 norum signis exceptus. Mortuo deni-  
 que Leone X. a sacro Cardinalium Col-  
 legio urbis Romanæ Rector Sede va-  
 cante seligebatur, ac Clementis VII.  
 be-

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1541.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1541.  
benevolentiam sibi concilians inter ejusdem familiares cooptatus, tandem die vigesima prima Novembris anno salutis millesimo quingentesimo vigesimo septimo ab eodem Papa adhuc in arce S. Angeli capto Presbyteris Cardinalibus adscriptus est, ejusque electionem idem Clemens literis in forma Brevis confirmavit, ne forte hac super re quæstio, dubiumque moveri posset. Anno Christi millesimo quingentesimo quadragesimo a Paulo III. Legatus a latere relictus est in urbe, quando ille Roma Placentiam versus discessit. Obiit Vincencius Neapoli die vigesima octava Septembris.

## §. XIX.

*Jacobi Merlini Doctoris fata.*

*Dupin. Bibl. des Aut. Eccles. tom. 14 in 4. p. 160.*  
Inter Scriptores Ecclesiasticos, qui hoc anno fati functi sunt, præprimis recenseri meretur Jacobus Merlinus ex Lemovicensi Diœcesi ortus, Theologicæ Parisiensis Facultatis Doctor. Hic per aliquot annos in Monte Martyrum Parochi munus explebat, postea vero Parisiis in Canonicum Ecclesiæ ad B. Virginem nominatus, anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo quinto ad obeundum majoris Pœnitentiarii officium seligebatur: cum autem religionis zelo animatus adversus Aulicos, qui  
no-

novis erroribus favere credebantur, vehementer declamaret, Francisci I. Regis jussu die nona Aprilis anno reparatæ salutis millesimo quingentesimo vigesimo septimo in Luparensis Castri carceres conjectus est, ex quibus non nisi post biennium ad Parisiensem Canonicorum preces liberatus exivit, adjecta tamen pœna, qua Nannetem in exilium deportari jubebatur; Deprecabantur pro eo apud Nannetensem Ecclesiam Parisienses Clerici; unde ipse etiam Rex tandem placatus, mense Junio anno Domini millesimo quingentesimo trigesimo Lutetiam Parisiorum redire eidem permisit: igitur ad urbem reversus, a Parisiensi Episcopo Vicarius Generalis, nec non Ecclesiæ ad S. Magdalenam Parochus & Archipresbyter nominatus est. Hic idem ceteris prior Origenis libros, quos publici juris fecit, etiam defendere aggressus est, edita hanc in rem apologia, quam editioni a se concinnatæ præfixit, nec minus primus fuit inter illos, qui omnia Concilia in unum collecta typis excudi curavit, tresque harum collectionum editiones vulgavit, quarum primæ duæ anno Christi millesimo quingentesimo vigesimo quarto, & trigesimo quinto Parisiis, tertia vero Coloniz anno salutis millesimo quingentesimo trigesimo publicam lucem a-

Sæc. XVI.  
A.C. 1541.

spe-

Sæcul. XVI. spexit (\*). Edidit insuper anno Do-  
A.C. 1541. mini millesimo quingentesimo decimo  
 octavo opera Richardi a S. Victore, nec  
 non Petri Blessensis libros anno Salva-  
 toris millesimo quingentesimo decimo  
 nono. Postea Durandi a S. Portiano  
 commentarios anno reparatæ salutis  
 millesimo quingentesimo decimo quinto  
 typis excudi curavit. Prodiere insuper  
 anno millesimo quingentesimo trigesi-  
 mo octavo Parisiensibus literis ejusdem  
 Scriptoris homiliæ in illa S. Lucæ ver-  
 ba cap. i. v. 26. *Missus est Angelus Ga-  
 briel a Deo ad Virginem &c.*

§. XX.

*Judicium circa hasce Collectiones.*

**A**d concinnandas hasce Conciliorum  
 collectiones Merlinus potissimum  
 inducebatur ex ingenti desiderio, quo  
 dissidia, quibus Ecclesia discindi cœpe-  
 rat, sedare peroptabat; cum enim Ca-  
 tholicæ Religionis incrementa summo  
 studio promovere satageret, hoc opus  
 in duos tomos digestum aggressus est,  
 illudque Stephano Ponchero Senonensi  
 Archiepiscopo, nec non Francisco ejus-  
 dem

---

(\*) Vide tractatum de Conciliis, & eorum  
 collectionibus Parisiis in majori forma impres-  
 sum anno Christi millesimo septingentesimo vi-  
 gesimo quarto.

dem nominis Episcopo Parisiensi nuncupavit, eoquod ambo ad operis perfectionem Merlino Codices manu exaratos subministrassent. Porro tomus primus complectitur collectionem Conciliorum & Pontificiarum Decretalium, quas Isidorus collegit: alter vero continet ea omnia, quæ in primo & secundo Concilio Constantinopolitano, nec non Constantiensi & Basileensi fuerunt acta. Secunda hujus operis editio locupletata fuit addita Bulla aurea Caroli IV. Imperatoris, nec non Pii II. Constitutione, qua ad futurum Concilium provocare prohibetur. Ceterum Merlinus in hoc opere nil amplius præstitit, nisi quod Concilia unacum eorum actis collegerit; quo tamen labore literatis plene non satisfecit; debuisset enim facta collectione textus, in quibus menda irrepserant, corrigere, atque innumeros pene errores, qui in scriptis Codicibus occurrunt, resecare, nec Merlino ejusmodi vitia erant incognita; ingenue enim in sua præfatione fatetur, quod Lector corruptas interpretationes in hac collectione offendere possit. Insuper parum elimabat collectionem suam; equidem ea referre intenderat, quæ Conciliorum & Pontificum acta ab Isidoro Hispalensi in unum volumen collecta respiciunt, suumque hoc propositum in  
pri

Sæc. XVI.  
A.C. 1541.

Sæcul. XVI. primo tomo executus est, ibidem tamen  
A.C. 1541. non nisi Latinam recenset versionem  
 primorum sex generalium, nec non sex  
 Provincialium Conciliorum, nempe An-  
 cyrani, Neo-Cæsarensis, Gangrensis,  
 Sardicensis, Antiocheni & Laodicensis.  
 Præterea intrusit etiam Diploma de do-  
 natione Constantini, quod tamen nullius  
 est auctoritatis: Deest vero Concilium  
 V. generale circa tria capitula anno  
 Christi quingentesimo quinquagesimo  
 tertio celebratum. Jam ut paucis to-  
 tum complectar, hoc opus parum cele-  
 bratur, atque id unice ejus auctori in ac-  
 ceptis referendum, quod suo exemplo  
 solertiam plurium aliorum excitaverit,  
 qui posteris ejusmodi collectiones longe  
 magis auctas, magisque exactas reli-  
 querunt.

## §. XXI.

*Sanctes Pagninus mortuus.*

*Sixt. Sen. in* Sanctes Pagninus Lucensis Ordinis FF.  
*Bibl sacra.* Prædicatorum alumnus, Vir erat  
*Leand. Alb.* doctissimus, ac linguarum Orientalium  
*descript.* Hebraicæ, Arabicæ ac Chaldeæ peri-  
*Ital Es de* tia longe celeberrimus. Hic idem to-  
*Vir. illustr.* tum sacrum Codicem latine reddidit,  
*Dominic.* quem laborem post D. Hieronymum  
 nullus hucusque ea, qua par erat, in-  
 tegritate perfecit; nec minus scripsit  
*Pagninus Isagogen ad sacras Literas, seu*

m-

introductionem pro studio divinarum li-  
 terarum: Præterea tractatum, cui ti-  
 tulus: *Theſaurus linguæ ſanctæ*, edidit  
 præter plures alios libros, quos Sixtus  
 Senenſis recenſet. Obiit Lugduni die  
 vigefima quarta Auguſti hoc anno ſalu-  
 tis milleſimo quingentefimo quadrage-  
 ſimo primo, & ſepultus eſt in ejuſdem  
 urbis Eccleſia ac ſubter Ordinis Fratrum  
 Prædicatorum choro.

Sæcul. XVI.

A. C. 1541.

## §. XXII.

*Querelæ contra ſermonem cujuſdam  
 Fratris ex Ordine S. Auguſtini  
 ad Facultatem Theologicam  
 delatæ.*

Hoc item anno poſt Chriſtum natum  
 milleſimo quingentefimo quadra-  
 geſimo primo die quinta Januarii Pari-  
 ſina Facultas Theologica excepit que-  
 relas, quæ contra ſermonem a Joanne  
 Barentono Ordinis S. Auguſtini prola-  
 tum deferebantur; nam hic in Eccleſia  
 S. Severini occurrente feſto S. Stepha-  
 ni hanc proſitionem: *Sancti non fa-  
 ciunt miracula*, ad populum dixit, ac tri-  
 bus etiam vicibus hæc verba repetiit:  
*Ita eſt, dixi vobis, quod Sancti non fa-  
 ciant miracula.* Igitur hic Religioſus  
 comparere jubetur, ipſe vero ſuam ex-  
 plicans proſitionem ita eſſatus eſt:  
*San-*

Argent. Coll.

jud. app. t. 1.

p. 10. coll. 2.

Sæcul. XVI. A. C. 1541. *Sancti non faciunt miracula, nisi cum Dei gratia & virtute eis data.* Placuit Doctoribus hæc Monachi explicatio, hinc conclusum, quod in sermone pro festo trium Regum diceret, ac prædicaret hanc propositionem: Sancti non faciunt miracula, esse falsam & hæreticam, simulque huic sermoni intersint tanquam hujus palinodia testes duo Doctores Blangefius & Godofridus. Acquievit hic Religiosus Facultatis sententiæ, eamque integra fide executus est.

## §. XXIII.

*Epistola Facultatis Theologicæ ad  
Abbatissam Monasterii Fortis  
Ebraldi.*

*Argent. t. 2.* *p. 132.* Die decima tertia Maji Facultatis Doctores Conventu apud Mathurinos habito deliberarunt circa responsum, quod Abbatissæ apud Fontem Ebraldi dandum esset, nam hæc a Facultate exquirebat, *utrum licite quosdam Religiosos, qui diversum a suo Institutum profitentur, ad hoc nominare posset, ut suarum Monialium confessiones exciperent?* Ad hoc dubium Facultas die decima octava Maji hunc in modum respondit: „ Dubiis „ nuper propositis ea, qua optavimus, „ promptitudine respondere haud potuimus, serio tamen ea perpendimus: „ cum

„ cum autem tui Deputati impensius ro- **Sæcul. XVI.**  
 „ garent, ut saltem ad præcipuum re- **A.C. 1541.**  
 „ sponderemus articulum, qui munus ti-  
 „ bi impositum concernit, nec non tam  
 „ tuam, quam tuarum Virginum religio-  
 „ sarum conscientias respicit, hinc re-  
 „ spondemus, quod Ordinis Ebraldini sta-  
 „ tuta, quæ Religiosarum confessiones  
 „ dicti Ordinis Patribus faciendas con-  
 „ cernunt, bene inspexerimus, ac exami-  
 „ naverimus, ideo dum nobis hoc pro-  
 „ positum fuit dubium, an Abbatissæ,  
 „ proin etiam Matribus Prioribus illo-  
 „ rum Conventuum, qui eisdem sunt sub-  
 „ jecti, licitum sit atque permissum, ut ex  
 „ justa ac honesta causa suis religiosis  
 „ Virginibus noxas suas aliis tam regu-  
 „ laribus, quam sæcularibus Sacerdoti-  
 „ bus deponendi facultatem concedant,  
 „ jam sic decidimus, quod Abbatissa, nec  
 „ non & Priorissæ, cum hæc statuta pro  
 „ animarum salute condita sint, suis Reli-  
 „ giosis permittere possint, ut aliis præter  
 „ ordinarios animarum Consiliarios etiam  
 „ infirmitatis tempore, in articulo mor-  
 „ tis, vel in aliis casibus confiteri valeant,  
 „ dummodo illi aliunde probis moribus  
 „ præditi, ac sana doctrina imbuti sint; se-  
 „ dulo tamen prospiciat Abbatissa, ut illu-  
 „ siones, fraudes, iudicii pertinacia ac om-  
 „ nes singulariter agendi abusus eviten-  
 „ tur, cauteque caveatur, ne ejusmodi  
*Hist. Eccles. Tom. XXXVIII. C* „ li-

Sæcul. XVI. „licentiæ trahantur vel in disciplinæ  
 A.C. 1541. „monasticæ everfionem, vel in contem-  
 „ptum illorum, quibus earum conscien-  
 „tias moderari aliunde ex legis præ-  
 „scripto ac jure competit: „ Ad reli-  
 qua Abbatiffæ dubia Facultas non ni-  
 fi anno fequenti fuum refponfum dedit.

## §. XXIV.

*Liber quidam a regia Curia ad  
 Facultatem delatus.*

*Argentre l.c.* Ad eandem Facultatem die vigefima  
*t. I. app p. II.* tertia Maji quidam regię Curię De-  
 putatus quofdam deferebat libros, qui  
 de diverfis materiis fidem, moresque  
 concernentibus agebant. Hos tan-  
 quam in fide fufpectos Decanus in pro-  
 xima Congregatione denunciavit, fimul-  
 que plures felegit Doctores, qui eos exa-  
 minarent, ac defuper fuam fententiam  
 exponerent: igitur hi mandatis morem  
 gerentes die prima Junii præfente ipfa  
 Facultate quinque obtulerunt libros,  
 quos ab ea damnari petebant. Horum  
 primus ita infcribebatur: *Sententiæ &  
 edicta Curię cœleftis.* Hic liber cen-  
 febatur effe perniciofus, manifefte Lu-  
 theri dogmata, pluresque propofitiones  
 hæreticas continens, atque ad id ten-  
 dens, ut verus facrę Paginæ fensus e-  
 vertatur, cum alios fensus ad arbitrium  
 ex-

excogitados, supersticiosos, ac non nisi Sæcul. XVI.  
A C. 1541.  
usibus, hominumque traditionibus in-  
nitentes substituatur, & Lutheri hæresin in-  
troducatur, eoquod impie prorsus omnes  
sanctas ac salutare Constitutiones ab  
Ecclesia circa ciborum discrimen, ac  
Clericorum continentiam stabilitas reji-  
ciatur.

Alteri libro titulus erat: *Familiaris  
introducitur ad Dialogi normam concinnata,  
cujus usu facile, ac intra breve tempus La-  
tina Grammatica addisci poterit.* Circa  
hunc libellum Facultas declaravit, quod  
pericula creetur, pluresque propositiones  
Lutheri erroribus infectas contineat;  
prima enim illius propositio hæc erat:  
*Nunc non nisi deliria, ac humana somnia  
prædicantur:* istam ergo propositionem  
Facultas damnavit *tanquam falsam, scan-  
dalosam & schismaticam.* Altera his ver-  
bis erat concepta: *Videt ipse t Diabo-  
lus, quod duntaxat per fidem in Christum  
salvemur.* Hæc censetur *esse falsa & hæ-  
retica, in quantum asserit, nos salvari so-  
la fide in Christum.* Tertia sonabat sic:  
*Nunquam homo, cui Dei honor cordi est,  
prohibuit lectionem Verbi divini in quacun-  
que lingua.* Hanc propositionem Facul-  
tas rejecit *tanquam falsam, & antiquo Se-  
dis Apostolicæ Decreto damnatam: Multæ  
siquidem, inquit Facultas, interdum sub-  
sunt causæ, propter quas aliquarum sacra-*

Sæcul. XVI. A.C. 1541. *rum Scripturarum translatio nuda, & sine clara explicatione non debeat tradi simplicibus, qui per id in multos possent errores induci, dum non sobrie nec citra supercilium illas legunt.*

Tertius liber incipiebat ab his verbis: *Hæ sunt amplæ illæ condonationes & indulgentiæ: atque in eo agitur de Indulgentiis & Thesauro Ecclesiæ: at modo prorsus impio & schismatico.* Quarti libri initium erat sequens: *Hæc est pia consuetudo &c.* Hic libellus erat epistola, ait Facultas, *ad pauperem & mendicam Lutheranorum Ecclesiam directâ, in qua damnantur doctrinæ, & Constitutiones Religionis Catholicæ vilipenduntur, & Ecclesia Catholica voce blasphema, proditrix noverca appellatur.* Quintus liber itidem complectebatur epistolam ad Monachum datam, quæ ita incipit: *Gratia, pax & misericordia Dei.* In ea juxta Facultatis sententiam *seditiose & hæretice beneficia & officia Christi Domini vilipenduntur: Schismaticæ vero Auctor ceremonias Ecclesiæ & Prælatos irridet, & de Crucis signaculo impie loquitur.* Condemnatis quinque hisce libellis Deputati alios quinque obtulerunt, qui pariter censuris notati fuere.

Istorum primus hunc præseferbat titulum: *Brevis instructio ex sacris literis*  
de

decerpta, qua quis inducitur, ut libenter moriatur, mortemque non timeat. In hoc libello multi detegebantur errores, quorum primus in eo situs erat, quod omne meritum hominis auferatur: sequens enim ibidem propositio legitur: Diabolus omnium primus in mundum introduxit hanc vocem: quamdiu vivimus, mereri possumus: Et tamen Diabolus non mentitur, certe enim promeremur, nempe infernum. Hæc propositio est aperte contraria Scripturæ sacræ, quæ docet, unicuique reddi juxta opera sua, Et unumquemque suscepturum mercedem juxta suum laborem, quapropter hæc propositio est hæretica.

Alter error est, inquit Facultas, quo ostenditur, quod non sint facienda bona opera pro salute, remissione Et satisfactione peccatorum; hanc in rem enim Auctor hanc protulit propositionem: Non facimus bona nostra opera propter salutem, aut remissionem peccatorum, aut propter satisfactionem; nam hoc solum spectat ad opera Et merita Christi in passione sua amarissima Et morte. Debemus etiam eidem nostrorum peccatorum satisfactionem adscribere. Hæc propositio juxta Universitatis sententiam est hæretica, quia sicut contestatur Scriptura hominibus salutem, remissionem peccatorum, Et satisfactionem primo Et principaliter ex merito passionis Et mortis Christi, ita demonstrat Scriptura, quod homines

Sæcul. XVI  
A.C. 1541  
ERRATA

debeant laborare, & bona operari, ut salventur, remissionem peccatorum consequantur, & ut debite satisfaciant. Tertius error erat de confidentia in solo Verbo Dei, de quo Auctor hanc propositionem effluit: *Christus Dominus Judex noster non aliud agnoscit meritum, quam suum proprium, quod ipse promeruit in cruce, & firmam fidem & fiduciam in solo Verbo suo.* Hæc assertio, inquiebat Facultas, hæresis est Lutheri, erronea proin, atque a veritate Catholica aliena, eoquod doceat, quod sola fide Verbi Dei consequamur salutem, remissionem peccatorum, & satisfactionem.

Alter liber ita inscribitur: *Expositio decem præceptorum legis: ex hoc sequentes decerpebantur propositiones, quarum prima his erat concepta verbis: Infirmitas spiritualis nos tantopere debilitat, ut ex omnibus iis, quæ facere, aut omittere tenemur, nullum possimus aut facere aut omittere.* Hæc propositio, censet Facultas, est in fide & moribus erronea, omnem præparationem ad virtutem & penitentiam impiis auferens. Altera sic habebat: *Adimpletio tertii præcepti in eo sita est, ut nos penitus Deo committamus & relinquamus, ut ipse solus in nobis operetur, suamque in nobis voluntatem faciat: certi enim sumus, quod hæc præcepta exigant, ut homo propterea sit creatus, ut se Deo offerat*

rat tanquam mortuum, & qui nihil est. Sæcul. XVI.  
A.C. 1541.  
 Hæc propositio, quantum ad id, quod præ-  
 tendit, actum bonum esse totalem a Deo,  
 & nullo modo ab homine, aut ejus libero  
 arbitrio, est hæretica. In tertia hujus li-  
 bri assertione Auctor ita effatur: *lis re-*  
*bus intendere debemus, quæ nullo pacto præ-*  
*ceptæ sunt, licet non sint acceptæ Deo, ideo*  
*etiam nobis nihil prodesse possunt.* Hæc  
 propositio manifeste sacris elogiis adversa-  
 tur, & ideo censenda est hæretica.

Tertius liber complectitur *Institutio-*  
*nem puerorum*, ibidemque Auctor docet,  
 quod puerilis ætas vitare debeat cultum ima-  
 ginum, tanquam sit ejusmodi cultus contra  
 divinam voluntatem. Tradit etiam, nihil  
 esse agendum a fidei, nisi contineatur in Bi-  
 bliis: *Utrumque autem horum, inquit Fa-*  
*cultas, impium est & hæreticum.* In prin-  
 cipio quarti libri, cui titulus: *Sancta*  
*Christi Domini Evangelia: continetur epi-*  
*sola adhortatoria, quæ Lutheri doctrinæ*  
*conspirat in damnatione Doctrinarum, Con-*  
*stitutionum & traditionum humanarum, pa-*  
*riter de invocandis Sanctis.* Denique ex  
 quinto libro de consolatione Christiana se-  
 quens depromebatur propositio: *Hæc*  
*commemoratio SS. Martyrum non alio ex*  
*sine pro nobis facta est, nisi ut inducamur,*  
*& ad subeunda similia, quæ ipsi tolerarunt,*  
*mala audaces reddamur; Permixta tamen*  
*est hæc commemoratio cum superstitione &*

Sæcul XVI. *insania, qua agitantur omnes illi, qui ejus-*  
 A C. 1541. *modi memorias celebrant, & honorant, cum*  
*non tolerant ejusmodi passiones, quas Sancti*  
*nos suo exemplo edocent, ut etiam illas patien-*  
*ter suslineamus & toleremus. Hæc pro-*  
*positio vana est & stulta, & a Catholica*  
*pietate aliena, quæ SS. Martyrum festa co-*  
*lit, ut Deum & Sanctos honoret, ac eorum*  
*meritis & precibus veniam impetret delictio-*  
*rum, devotionem acquirat & virtutes, qui-*  
*bus ad eorum pervenire mereatur societatem.*  
 Ceterum hic libellus plura alia prorsus  
 impia & hæretica continebat.

§. XXV.

*Opera Cochlæi adversus Lutheri*  
*Seditatores.*

*Cochl. in act.*  
*& script.*  
*Luth. hoc an-*  
*no p. 303.*

Interea Cochlæus continuo Lutheri af-  
 feclas immoto Religionis studio, scri-  
 ptisque adversus eos libellis insectaba-  
 tur. Intererat Ratisbonensi colloquio  
 ac Comitii, ubi tres omnino libros, ac  
 primum quidem die decima octava Ju-  
 nii edidit, in quo approbat judicium Ca-  
 tholicorum, qui ante Concilium nihil  
 decidendum, sed omnino futuræ Syno-  
 di decisionem circa articulos in collo-  
 quio conciliatos ac discussos expectan-  
 dam contendebant. Alter libellus con-  
 tinebat epistolam circa privatum collo-  
 quium, quod Cochlæus instituit cum  
 Electore Brandenburgico; ibidemque  
 præ-

præcipue agit de tribus articulis, nimirum de Ecclesia, Sacrificio Missæ, & invocatione Sanctorum. Tertius denique Cochlæi liber erat versio cujusdam fragmenti ex Græco quodam commentario in Canonem Missæ circa Consecrationem.

## §. XXVI.

*Diffidia circa Episcopatum Naumburgensem.*

Ineunte anno sequenti millesimo quingentesimo quadragesimo secundo a-cerrima exorta est contentio Catholicos inter & Protestantes circa Naumburgensem Episcopatum, qui tum per Præfulis sui obitum vacabat, atque in ejus locum a Canonicis cooptatus fuerat Julius Pflugius, qui in Ratisbonensibus Comitibus ex Catholicis Theologis unus ingentem sibi famam conciliabat libris suis in lucem editis, præcipue illo opere, quod contra Lutherum *de Institutione hominis Christiani* conscripsit: Cum vero Princeps ac Saxonie Elector Naumburgensibus Canonicis Episcopum subrogandi jus competere denegaret, ac contenderet, quod hæc urbs, utpote sita in Misnienfi Saxonie Provincia suo imperio obnoxia esset, hinc ejecto Pflugio hanc Ecclesiam Nicolao Amstorfio, seu Amsfordio Lutheranae sectæ Ministro

Sæc. XVI.  
A.C. 1542.

*Steid. comm.*  
*l. 14. p. 455.*  
*Paul. Lango*  
*de Episcop.*  
*Neob.*  
*Melchior A-*  
*dam. in vita*  
*Theol. Germ.*

ac

Sæcul. XVI. ac Wittembergensi Theologo vindica-  
A.C. 1542. vit, qui etiam mense Januario anno Chri-  
 sti millesimo quingentesimo quadragesi-  
 mo secundo a populo acceptatus, atque  
 a Luthero in Episcopatus possessionem  
 introductus fuit, & paulo post ob suam  
 nominationem in lingua patria librum e-  
 didit, in quo affirmabat, quod Pflugio  
 tanquam sanæ doctrinæ hosti grex Do-  
 mini minime committendus esset: cum  
 igitur Pflugius sese tam inique repudia-  
 tum cerneret, haud segnior plures etiam  
 libellos, quos ad Imperii Ordines dire-  
 xit, divulgavit, atque in iis juris sui æ-  
 quitatem demonstrans de illata sibi in-  
 juria questus est. Vicissim Saxonix  
 Princeps Pflugio respondit, ac prolixo  
 sermone ex pervetustis monumentis o-  
 stendere nitebatur, quod hoc jus fami-  
 liæ suæ competeret, inter plures vero  
 rationes, propter quas Pflugium exclu-  
 debat, hanc quoque potissimam allega-  
 bat, dicens: *Pflugium ferre non possum*  
*Naumburgensem Episcopum, eoquod Augu-*  
*stancæ Confessione palam adversetur.*

§. XXVII.

*Comitia a Cæsare Spiræ indicta.*

*Sleid. p. 456.* Postquam Cæsar nuntium acceperat,  
*Cochl. p. 303.* quod Ferdinandus ejus frater in  
*Belc. comm.* Hungaria a Turcis cæsus fuisset, Impe-  
*l. 23. n. 7. 1549.* rii Comitia hoc anno Spiræ in mense Ja-  
 nuar-

nuario habenda indixit, voluitque, ut  
 ejus loco Romanorum Rex in illis præ-  
 sideret, eique Hugo Montfortius, &  
 Joannes Navius adjungerentur, ut jun-  
 cta omnium opera non modo de cele-  
 branda Synodo, & Clero Germaniæ e-  
 mendando, sed etiam de suppetiis pro  
 Turcico bello ferendis deliberari posset:  
 hisce tamen Comitibus non nisi nona Fe-  
 bruarii die initium dabatur. Accesser-  
 rant illuc Brandenburgicus Elector, Fri-  
 dericus Comes Palatinus, Albertus Me-  
 galopolitanus Dux, & Ernestus Baden-  
 sis Marchio, præter Episcopos Mogun-  
 tinum, Wormatiensem, Spirenses,  
 Constantiensem & Hildesheimensem:  
 ex reliquis vero suos quisque Deputa-  
 tos eo ablegabat, atque ipse etiam sum-  
 mus Pontifex Joannem Moronum Mu-  
 tinensem Episcopum ad hæc Comitibus  
 tanquam Sedis Apostolicæ Legatum de-  
 cernebat, dato eidem negotio, ut juxta  
 normam a Cardinale Contareno in Ra-  
 tisbonensi Conventu propositam strenue  
 Germani Cleri emendationem urgeret,  
 ea tamen cautela, ut ipsius Cleri confi-  
 liis aliquantum indulgere videretur, ac  
 mediocre subsidium ad bellum contra  
 Turcas gerendum promitteret, nec non  
 congregatis exponeret, quod Papa qui-  
 dem proximo Concilio ipse interesse  
 voluerit, cum vero gravis senii, atque  
 vâ-

Sæc. XVI.  
 A.C. 1542.

Sæcul. XVI. valetudinis adversæ molestiis præpedi-  
A.C. 1542. tus tam longum iter aggredi minime  
 valeat, hinc urbem extra Italiam seli-  
 gere haud possit, aliunde vero timen-  
 dum, ne forte, si Concilium in Germa-  
 nia celebraretur, Religionis negotia  
 tranquille ac amice componi haud pos-  
 sent, cum hæc regio tumultibus ac dis-  
 fidiis ferveret, civiumque animi circa  
 fidei controversias adeo concitati essent,  
 ut Synodum in quadam Italiæ urbe, vel  
 Mantuæ, Ferrariæ, Bononiæ, vel  
 Placentiæ congregare, longe consul-  
 tius foret.

## §. XXVIII.

*Romanorum Regis oratio in hisce  
 comitiis habita.*

*Steid. l. c.* Cunctis Principibus, atque Imperii Or-  
*Pall. l. 4. n. 7.* dinibus in unum congregatis Fer-  
*Belc. l. 23. n. 8* dinandus, qui absente Cæsare Præsidentem  
 agebat, orationem habuit, hunc in mo-  
 dum effatus: „ Quanta fuerit hucus-  
 „ que Cæsaris diligentia, ut & Religio-  
 „ nis negotia componerentur, & reli-  
 „ quæ partes reipublicæ constituerentur,  
 „ omnibus constat: cum vero diffidium  
 „ hoc in superiori Conventu non potue-  
 „ rit ex integro conciliari, gravissimis  
 „ de causis e Germania in Italiam Cæ-  
 „ sar est profectus, & de Concilio, de-  
 „ que Turcico bello cum Papa colloqu-  
 „ tus

„tus, eo rem deduxit, ut Pontifex ad Sæcul. XVI.  
 „hunc Imperii Conventum Legationem A.C. 1542.  
 „se missurum sponderet. In Africam  
 „deinde cum classe sua profectus est Im-  
 „perator, ut Algeria urbe capta justum  
 „auxilium posset adversus Turcas con-  
 „sequi, sed tempestate detentus, quod  
 „voluit, perficere non potuit, hinc in  
 „Hispaniam reversus est, ut ad bellum  
 „Turcicum terra, marique gerendum  
 „denuo sese pararet: cum vero Turca  
 „Budam primariam Pannoniæ urbem,  
 „nec non situm ex illius regione oppi-  
 „dum nomine Pestum nuper occupasset,  
 „ideo hunc indixit Conventum, ut de sum-  
 „ma rerum deliberaretur. „ His ita com-  
 memoratis, quantas demum suppetias  
 Austriaci, Hungari, Bohemi, alique  
 populi his foedere juncti, nec non Cle-  
 rici atque Proceres ad hoc bellum col-  
 laturi sint, exposuit, hortatusque est,  
 ut spectato periculo omnibus imminen-  
 te Imperium tueri studerent; *Ea enim,*  
*inquiabat Romanorum Rex, nunc est re-*  
*rum conditio, ut aut ex Hungaria expellen-*  
*duus sit hostis, aut extrema sit omnibus ex-*  
*spectanda, pauloque post subeunda cala-*  
*mitas.*

Sæcul. XVI.

A C. 1542.

§. XXIX.

Oliverii Galliarum Regis Legati oratio Spiræ declamata.

Sleid. l. 14.

p. 455.

Belc. comm.

l. 23. n. 8.

Ad eadem hæc Comitia Galliarum Rex quosdam ablegabat Oratores, quos inter præcipuus erat Franciscus Oliverius, qui in quadam oratione satis prolixa die decima quarta Februarii hæc exposuit: *Benevolentiam sollicitè captare haud volo, cum aliunde Regis mei animum in Germaniæ commoda propensissimum satis agnoscant omnes: Equidem Rex meus Legatos ad Solimanum e vestigio misit, sed eo consilio, ut bellum ab Hungaria propter vicinam Germaniam averteret, si posset; quo enim tempore Ratisbonæ Conventus agebatur, allatus fuit nuntius in Gallias, Turcam maximis cum copiis adventare in Hungariam; verum in Italia capti fuere Regis Oratores a Cæsareo milite, nec satis adhuc est compertum, an necati sint, an vero super sint: qua quidem re violatæ sunt non modo induciæ, sed & jus gentium. . . . Cum autem Rex accepisset, in his Comitibus deliberandum esse de subsidiis in Hungariam mittendis, & de reprimendo furore Turcico, non potuit non animi sui sensum in hac tanta re declarare: quam ob rem si forte prolixior sit sermo futurus, oro, patienter me audiant, nec enim potest brevius res omnis, quæ venit hanc in causam, comprehendi.*

Pri-

Sæcul. XVI.  
A.C. 1542.

Primo quidem censeo, potius meliorem exspectandam occasionem, & differendum esse bellum contra Turcas, quoad Orbis Christiani potentia, reconciliatis Principum animis amplificata sit, & majoribus firmata præsidii: nunc vero rationes explicandæ sunt eorum, qui bellum suadent, ac hæc ferme dicunt: non est ferendum, ut Turca Hungariam fortissimum Germanicæ propugnaculum occupet: non est dubitandum de victoria, quia Turca summo scelere ad tantam Imperii molem pervenit, neque etiam est tam invictus, ut plerique putant. Hi tamen, qui id genus alia proferunt, non satis perpendunt, quis sit Germanicæ status, ubi omnia simultatibus & odiis flagrant: considerandum vero est, Turcam esse hostem, quo non sit alius potentior, eumque posse semper novum exercitum, copiasque recentes adducere, cum tamen Germania crebris bellis sit milite exhausta. Cum autem difficile sit Germanis, tantum sustinere bellum, sive id inferant, sive se defendant, hinc res ipsa flagitat, ut civiles Germanicæ simultates atque dissidia componantur: absque concordia enim certe res Imperii non poterunt esse firmæ aut diuturnæ: Romani evaserunt domini rerum non tam viribus & armis, sed eo astu, quo operam dabant, ut, quam gentem imperio suo subicere cogitabant, eam civili dissidio & offensione dividerent, sic quoque Turcæ, tenuis, obscura & barbara natio e Scythiæ

la-

Sæcul. XVI. latebris prorepens nostris crevit diffidiis.  
A.C. 1542. *Communis ergo libertatis vindicandæ causa rationes ineundæ sunt concordia, sequenda est doctrina, de qua Ratisbonæ convenit, & amice vivendum, nec ulla deinceps movenda jurgia, neque cogitandum, fore, ut Principibus vel cessantibus vel factione divisæ exteræ nationes in hanc curam incumbant: hæc itaque est Regis mei mens & consilium, unde rogo, ut eam in partem optimam accipiant, atque ab ipso firmam amicitiam & conjunctionem exspectent.*

## §. XXX.

*Legati oratio a congregatis Principibus indignanter accepta.*

*Belcar. n. 9.*  
*Pallavic. l. 4.*  
*c. 17. n. 8.* **A**ttamen hic Gallici Oratoris sermo haud faventibus auribus fuit exceptus; in hisce enim Comitibus potissimi erant Germani Principes, qui vix non omnes Caroli V. Cæsaris commoda sedulo procurantes Gallis minus faventibus: aliunde vero satis omnibus perspectum erat, quod Francisci I. Galliarum Regis consilia eo collimarent, ut Hungaria Turcarum invasionibus diripienda relinqueretur, & sic Cæsar tuendo Imperio intentus Italiæ negotia urgere, atque exercitum illuc ducere haud ultra posset. Insuper Vastius Marchio, postquam Ringonus & Fregosius crudeliter in modum a Præsidiario Papiensis urbis

urbis milite trucidati fuerunt, quasdam Sæcul. XVI. A.C. 1542.  
 utriusque hujus Principis literas inter-  
 ceperat, easque explicatis, quibus ex-  
 aratæ erant, notis occultis ad Ferdinan-  
 dum Romanorum Regem transmisit, si-  
 gnificans, quod ambo hi Gallorum Le-  
 gati a Rege haud alio ex fine fuissent  
 missi, nisi ut Venetos ad violandum,  
 quod cum Cæsare inierant, fœdus in-  
 ducerent, ipsumque Solimanum ad bel-  
 lum Cæsari terra marique inferendum  
 inclinarent: cum igitur Oliverius Fran-  
 ciæ Legatus se ceterorum, quibus sin-  
 ceram Galliarum Regis voluntatem fal-  
 so persuadere moliebatur, irrisioni ex-  
 positum cerneret, suamque orationem  
 a Principibus Spiræ congregatis non si-  
 ne indignatione exceptam fuisse probe  
 intelligeret, hinc Comitii nondum so-  
 lutis protinus inde discessit, ac sinistram  
 demandati negotii successum vehemen-  
 ter indignatus in Franciam reversus  
 est.

## §. XXXI.

*Legati Pontificii oratio in comitiis  
habita.*

Pariter in hisce comitiis Joannes Mo-  
 ronus summi Pontificis Legatus or-  
 rationem habuit; is enim de Pauli III.  
 Papæ sententia a Ferdinando rogatus,  
 hunc in modum die vigesima tertia Maji  
Hist. Eccles. Tom. XXXVIII. D per-

Sleid. p 461.  
Belc. l. 23. u. 4

Sæc. XVI. perorabat: *Cæsar anno superiori, cum in*  
A.C. 1542. *Africam iret, facto per Italiam itinere age-*  
*bat cum Pontifice de bello Turcico, deque*  
*Concilio: ast cum & ardua res esset & gra-*  
*vis, & Cæsar festinaret, nihil fuit decre-*  
*tum, remansit tamen in Italia Granvellanus*  
*quocum amplius deinde actum est negotium.*  
*Ac Pontifex quidem semper optavit bellum*  
*Turcicum, ejusque rei causa operam dedit,*  
*ut pacem omnes colerent: nunc etiam totus*  
*in hoc est, ut quæ ipsius potissimum interces-*  
*sione pacis sunt inter Cæsarem & Gallia-*  
*rum Regem, induciæ servarentur: cum au-*  
*tem varia de apparatu Turcico diff-  
 minentur, neque certo constare possit, quorsum evadat,*  
*suppeditabit Papa millia quinque peditum, si*  
*Cæsar ipse militiæ præsit, sin autem, ejus*  
*summæ dimidium, atque ita quidem egit cum*  
*Granvellano. De Concilio autem, quæ*  
*semper ante fuit, eadem quoque illius est mens*  
*atque sententia, ut aliquando Concilium per-*  
*agatur: adhuc illud quidem suspendit de*  
*Cæsaris & Ferdinandi quoque Regis assen-*  
*su, eoquod ad concordiam aditus aliquis in*  
*Germania patefieri posse interea crederetur:*  
*cum vero id frustra susceptum sit, ad prius*  
*institutum redit Pontifex, sed ut in Germa-*  
*nia cogatur, neque ipsius ætas fert, cum ve-*  
*lit & debeat interesse, viæque longinquitas*  
*obstat, cælique mutatio: Deinde Germania*  
*non omnibus populis videtur commoda, me-*  
*tusque est, ne turbulenta sit actio futura:*  
 ma-

magis igitur ei probatur Mantua, aut Fer-  
 raria, aut Bononia, aut Placentia, quæ  
 amplæ sunt civitates ac peropportunæ: ve-  
 rumtamen si minus hæ placeant, non recusat  
 Papa, quin Tridenti fiat, cum hoc sit vicin-  
 um Germanicæ finibus oppidum: Voluit  
 quidem Pontifex Synodo initium fieri ad  
 Pentecosten, sed propter temporis angu-  
 stias ad Idus Augusti producit, oratque,  
 ut depositis offensionibus hanc in curam  
 omnes incumbant.

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1542.

§. XXXII.

*Tridentina urbs pro Sede Concilii  
 proposita atque acceptata.*

Ad hæc Ferdinandus, ceterique Princi-  
 pes Catholici unacum Imperii Vi-  
 carius summo Pontifici ob pia ejusdem  
 consilia ingentes rependebant grates, si-  
 bique Tridentinæ urbis selectum place-  
 re affirmabant, eo quod nulla alia civi-  
 tas, cum Synodus Ratisbonæ vel Co-  
 loniæ haberi non posset, magis idonea  
 in Germania reperiri valeret: Ex ad-  
 verso autem Protestantes non tantum  
 Concilio per Papam convocando, sed  
 etiam loco, ubi Synodus haberetur, se-  
 se opponebant, palam declarantes, se  
 nunquam permissuros, ut in Comitio-  
 rum Decreto hac de re mentio fiat: un-  
 de discussis aliis quibusdam civilibus  
 negotiis die undecima mensis Aprilis

Sleid. l. 14.  
 p. 426.  
 Pallav. l. 4.  
 c. 17 n. 9.  
 Cochl. in act.  
 et script.  
 Luth. anno  
 1542. p. 303.

Sæc. XVI. Comitia solvebantur, simulque alius  
A.C. 1542. Principum Conventus mense Januario  
 anni sequentis Norimbergæ celebran-  
 dus indicebatur.

## §. XXXIII.

*Lutheri liber, cui titulus, Concio  
 militaris, seu castrensis.*

*Sleid. p. 463.  
 Spond. hoc  
 anno n. 4.*

Hoc anno absolutis Spirensibus Comi-  
 tiis Lutherus libellum edidit, cui  
 ab eo titulus fuit inscriptus: *Concio ca-  
 strensis*; cum enim primis annis inter ce-  
 tera de Turcarum bello traderet, quod  
*non modo ea, quæ Deus nos velle vult, sed  
 etiam cuncta, quæ Deus vult, velle debeat-  
 mus, atque exinde inferret, quod belli-  
 gerare cum Turcis nihil aliud sit, quam re-  
 sistere voluntati Dei, qui nos per eos casti-  
 gare vult, ac propter hanc doctrinam  
 Lutherus in censura, qua ejus proposi-  
 tiones fuerunt notatæ, a Leone X. fue-  
 rit damnatus, ideo in præfato libello  
 suam sententiam retractare videtur, at-  
 que in eadem Concione hoc anno divul-  
 gata contrariam tradit doctrinam, ita  
 scribens: *Magistratui militiam adversus  
 Turcam imperanti præsto sint omnes ac non  
 modo fortunas, verum etiam se ipsos im-  
 pendent.* Postea hortatur Principes, ut  
 expergiscant adversus hostem adeo cru-  
 delem, ac tantopere vigilem, qui, sic  
 inquiebat Lutherus, *per suum Alcora-**

num Evangelii doctrinam extinguere moli-  
 tur. Verum ea res non pertinet ad Ponti-  
 fices; cum enim ipsorum munus sit peculiare  
 Verbo Dei & precationibus oppugnare, mi-  
 nime decet, ut ea neglecta statione, machinis  
 & armis rem gerant. Cæsaris proprie of-  
 ficiū est in Turcam belligerare, non quidem  
 vindictæ, vel gloriæ, vel emolumentī causa,  
 verum ex officio, nimirum, ut ab injuria  
 suos defendat subditos: Neque vero Cæsar  
 his verbis ad bellum excitandus est, tanquam  
 ipse esset Orbis Christiani Caput, Ecclesiæ  
 protector, fideique defensor: nam ejusmodi  
 tituli sunt falsi atque ventosi, & ad injuriam  
 Christi pertinent, qui solus Ecclesiam suam  
 defendit. Ceterum Christiani, qui vel jam  
 sunt in Turcarum potestate, vel in servitu-  
 tem ab illis olim rapiuntur, patienter ferant  
 suam servitutem, atque a speciosa illa Tur-  
 carum atque fucata religione diligenter sibi  
 caveant, nec ad ipsorum religionem deficiant.  
 Tandem in fine hujus libelli precationis  
 normam subjungit ad Deum contra fu-  
 rorem ac barbaram horum infidelium  
 sævitiam.

## §. XXXIV.

*Apologia Eckii adversus Bucerum.*

Sub idem tempus Eckius quoque pro *Cochl. l. e.*  
 Catholicis apologiam edidit adver-  
 sus Buceri calumnias; cum enim hic  
 Protestantium Theologus de Ratisbo-

Sæcul. XVI. A.C. 1542. nensium Comitiorum actis libellum conscriberet, Eckius in suo libro præprimis ostendit, quod longe plures ac graviores articuli controversi non sint conciliati, quam sunt ii, quos Bucerus conciliatos affirmat. Postea per multas variasque annotationes ea omnia declarat, quæ in libro, qui Collocutoribus propositus fuit, & in quolibet libri capitulo reprehensione digna sunt, libros autem editos fuisse viginti tres affirmat. Tertio denique reprobat multos Lutheranorum errores, qui habentur in novem eorum scriptis, quæ ab eis subscripta fuere. Denique prolixius per viginti & unum puncta refellit cavillas & Buceri calumnias, quas edidit contra responsum Catholicorum Principum & Imperii Ordinum de libro colloquii Carolo Cæsari datum. Insuper defendit Eckius Cardinalis Contareni Legati Apostolici responsa & declarationes, quas Bucerus calumniose suggillavit. Postremo tandem responsum, quod a Protestantibus Cæsari de articulis conciliatis, & adhuc controversis datum fuit, examinat, illudque prorsus infirmum, folique calumnias spargendi libidini innixum ostendit. Prodiit eodem etiam anno alia Alberti Pighii apologia contra Bucorum scripta.

§. XXXV.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1542.*Synodus per Bullam a Paulo III.  
Tridentum convocata.*

Cum interea probe cognosceret Pontifex, quod Tridentinæ urbis electio pro Concilii loco Principibus Catholicis probaretur, nullusque illius convocationem retardandi prætextus ultra obtendi posset, hinc die vigesima secunda Maji hoc anno Bullam edidit, qua Synodum ad primam Novembris diem indixit. Hujus Constitutionis duo authographa mox expediri jussit, ac primum quidem ad Romanorum Regem tum Cæsaris vices in Germania agentem transmisit, eo fine, ut ipse ex demandata sibi auctoritate cunctos Principes, omnesque liberas Imperii urbes utriusque Religionis de indicta Synodo certiores redderet, eisque injungeret, quatenus Deputatos nominarent, qui eorum nomine Concilio interessent: Alterum vero mittebatur Carolo Imperatori, qui hujus Synodi convocationem plurimum urgebat.

§. XXXVI.

*Pontificis Bulla pro convocatione hujus Concilii.*

In hac Constitutione Paulus III. Pontifex hæc exponebat: *Initio Pontificatus* Bull. Paul. III. Const. 33

D 4

tus

Sæcul. XVI. A C. 1542. Raynald. hoc ann. n. 13. tus nostri cupiebamus quidem mederi Reipublicæ Christianæ malis, quibus jam dudum vexata, & propemodum oppressa est, sed animo repetentes, quod remedium optimum atque opportunissimum sint œcumenica Concilia, ipsi quoque animum ad generale Concilium habendum adjecimus, atque anno millesimo quingentesimo trigesimo septimo illud præprimis in civitate Mantuana, ac demum Vicentiæ celebrandum indiximus; cum autem videremur, eo tempore nulla jam ratione Concilium haberi posse, hinc obtinenda pacis spe freti concessimus, ut differretur tempus agendi Concilii; cumque voluntatem Principum exspectarem, tempusque observarem absconditum, tempus beneplaciti tui, o Deus, aliquando tandem decernere compulsi sumus, omne esse tempus beneplacitum Deo, cum de rebus sanctis, & ad Christianam pietatem pertinentibus consilia inveniuntur: Itaque cum Vicentiam amplius non haberemus, atque ex aliquot locis ipsam Tridentinam civitatem ab ipsis Principibus desiderari videremus, nos, etsi in citeriore Italia commodius omnia tractari posse judicavimus, ad eorum tamen postulationes nostram voluntatem paterna charitate defleximus, hancque urbem elegimus, in qua œcumenicum Concilium ad proxime venturas Kalendas Novembris haberetur, idoneum locum illum statuentes, quo ex Germania quidem, aliisque Germanicæ finitimis nationibus facillime Epi-

Episcopi & Prælati convenire possent. Dies <sup>Sæcul. XVI.</sup>  
autem Concilii ea a nobis spectata est, quæ <sup>A.C. 1542.</sup>  
spatium in se haberet & publicandi per Chri-  
stianas nationes hujus nostri Decreti, & fa-  
cultatis omnibus Prælati ad veniendum tri-  
buendæ: Ipsius igitur Dei omnipotentis Pa-  
tris, & Filii & Spiritus sancti, ac Beato-  
rum Apostolorum Petri & Pauli auctorita-  
te, qua nos quoque in terris fungimur, fre-  
ti atque subnixi, & de Ven. Fratrum no-  
strorum S. R. Ecclesiæ Cardinalium consilio  
& assensu, sublata amotaque Concilii suspen-  
sione œcumenicum & generale Concilium in  
civitate Tridentina loco commodo & libero,  
omnibusque nationibus opportuno, ad Kalen-  
das proximas Novembris anni præsentis  
millesimi quingentesimi quadragesimi secundi  
incipiendum, & prosequendum, & absol-  
vendum indicimus. Omnes quoque Patriar-  
chas, Archiepiscopos, Episcopos, Abba-  
tes, & alios quoscunque, quibus jure, aut  
privilegio in generalibus Conciliis residendi,  
& sententias in iis dicendi permissa est pote-  
stas, convocamus, eos hortamur, atque in  
vim juramenti, quod nobis, & huic sanctæ  
Sedi præstiterunt, eis in virtute sanctæ obe-  
dientiæ, aliisque sub pœnis jure aut consue-  
tudine in celebrationibus Conciliorum adver-  
sus non accedentes ferri solitis præcipimus,  
ut ipsimet, nisi forte justo detineantur impe-  
dimento, de quo tamen fidem facere com-  
pellantur, aut certe per suos legitimos Pro-

Sæcul. XVI. A C. 1542  
 curatores, sacro huic Concilio adesse, & interesse debeant: Imperatorem vero, Regemque Christianissimum, nec non ceteros Reges, Duces & Principes rogamus, ut ipsimet ad sacri Concilii celebrationem veniant, aut graves saltem Viros Legatos cum auctoritate mittant, curentque, ut ex suis cujusque Regnis & Provinciis Episcopi ad Concilium proficiscantur. Quod maxime quidem a Prælatiis & Principibus Germanicæ Deum ipsum & nos impetrare æquum est, ut cum eorum præcipue causa ipsisque cupientibus Concilium indictum sit, & in ea civitate indictum, quæ ab eis est desiderata, non grauentur ipsi sua cunctorum præsentia id celebrare, & ornare: quo melius atque commodius ea, quæ ad integritatem, & veritatem Christianæ Religionis, quæ ad bonorum morum reductionem, malorumque emendationem, quæ ad Christianorum inter se tam Principum, quam populorum pacem, unitatem atque concordiam pertinent, & ad repellendos Barbarorum, ac infidelium impetus sunt necessaria, in dicto Concilio perfici, atque ad optatos exitus deduci quamprimum & quam optime possint. Datum Romæ secundas Kalendas Junii.

§. XXXVII.

## §. XXXVII.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1542.*Responsum Cæsaris ad Papam circa  
Synodi conuocationem.*

Cæsar, postquam hujus Bullæ exem-  
plum acceperat, mox die vigesima  
quinta Augusti datis ad Papam literis  
ejusdem studium ac conatum in convo-  
cando hocce Concilio impensum com-  
mendat, eique prosperum laboris suc-  
cessum gratulatus, gaudium suum, quo  
inde afficiebatur, testatur: Postea au-  
tem suo responso vehementes juxta &  
amaras inseruit querelas aduersus Gal-  
liarum Regem, quamvis illæ ad argu-  
mentum, quod in suis literis pertracta-  
bat, nil aliud conferre viderentur, nisi  
quod ex illis ansam atque occasionem  
captaret, qua se encomiis præ illo am-  
plioribus dignum efferre, plurimaque  
obsequia Ecclesiæ præstita jactare pos-  
set, hinc demonstrare nitebatur, quod  
Galliarum Rex adeo nulla Ecclesiæ ser-  
vitia exhibuerit, ut etiam ejus splendo-  
rem plurimis obfuscaverit tenebris (\*).

## §. XXXVIII.

(\*) Utrumque Principem inter se confer-  
re, mei instituti rationem excedit, haud inuti-  
le tamen erit, ipsa Cæsaris verba, prout a  
Sleidano proferuntur, hanc in rem recensere.  
Hic itaque Cæsarem hæc scripsisse narrat: Gal-

lio-

Sæcul. XVI.

A.C. 1542.

§. XXXVIII.

*Galliarum Regis edita contra Lutheri Seditatores.*

Sleid. comm.

l. 14. p. 470.

§ seq.

Cum vero Francisci I. ratio agendi plurimum opponeretur vanis ejusmodi querelis, adeo luculenter ejusdem in-

110-

liarum Rex est prodigus filius, ego vero, qui nunquam ab officio deflexi, multo arctius complectendus sum: nullum enim laborem, nullum recusavi periculum atque sumptum; ut aliquando Concilium haberetur, ut republica tota pacata, vires omnes in Turcam expedirentur: Ille econtra longe semper alio spectabat: nihil ergo est, quod in ipsius literis desideretur: consuevit ille jactare, quasi Cardinales habeat in sua manu: quapropter dubito, num verum illud sit: sed utcunque res habeat, nitor conscientiae recti, & actiones utriusque notæ sunt publice: nimium sane lenis in illum fui, nimiumque indulsi: nam frustra multis nunc annis omnem suscepi laborem: admonui eum frequenter officii, remisi illi sæpe gravissimas injurias, renovavi subinde cum eo foedera, sed his omnibus factus est deterior, & mea lenitate atque patientia prorsus abutitur. Quis belli causam dederit, quis pacta violarit, explicavi Romæ: quid acciderit interea, nunc etiam didurus sum: nempe quam fuerim amans, cupidusque pacis, ex eo facile potest demonstrari, quod

nocentia vindicata videbatur, ut eam Sæcul. XVI.  
adverso responso tueri vix necesse esset A.C. 1542.  
(\*) ; Rex enim eo ipso tempore, quo ob  
neglectum Religionis ac Ecclesiæ stu-  
dium a Carolo V. redarguebatur, sin-  
gulis diebus nova quædam edidit speci-  
mina suæ solertiæ, qua novarum hære-  
sum

quod post inducias Nicenas cum illo venerim in  
colloquium ad aliquas mortuas, eique me per-  
miserim, Et anno sequenti per Gallias iter fe-  
cerim, magna cum hominum admiratione, ne-  
que sine reprehensione multorum: etenim cum  
non semel fidem ille violarit, Et sit in consiliis  
omnibus valde mobilis Et inconstans, magni cer-  
te res fuit periculi, quod ejus fidei me committe-  
rem: compertum etiam habeo, deliberatum fuis-  
se tunc de me retinendo: quod autem nonnulli  
dicunt, propter motum Gandavensem necessario  
mihi fuisse faciendum illuc iter, id nihil est: nam  
is motus a paucis quibusdam, Et quidem infimi  
generis hominibus fuit excitatus, Et provincia  
omnis in fide permansit, insuper Soror mea Re-  
gina iis rebus potuisset mederi: consilii vero mei  
tunc fuit per Italiam reverti in Germaniam, sed  
illius precibus adductus mutavi propositum, per-  
que Gallias iter suscepi: quod quidem Et illius,  
Et liberorum ejus, Et Procerum quoque literis  
docere possem: etenim hoc ita vehementer a me  
flagitavit, ut honorem suum lædi putaret, si  
quidem alio, quam per Galliam, iter facerem:  
cum-

Sæcul. XVI. A.C. 1542. sum progressus in Regno suo sistere nitentur; quippe Parisiensis Senatus, quem vocant *Parlamentum*, nuper indictis

*cumque jam essem in Galliis, ille non semel affirmavit, se pæctas inducias velle servare: postea vero cæpit queri, non sibi reddi Mediolanum ex promisso, cum tamen ei promisso hæc fuisset adjuncta conditio: si quidem Sabaudicæ Principem avunculum meum restitueret, Et alia quædam faceret: Ab eo videlicet tempore, diversis locis ille contra me machinatus est, per Germaniam, per Italiam, apud Turcam, apud Vayuodam Joannem, ejusque Conjugem viduam, Et quosdam Ungaricæ Proceres, quorum opera Budam Turca est consecutus, Et tamen interea pulchre dissimulat malevolentiam, Et multa mihi prolixè de amicitia confirmavit, captiose nimirum, ut tempus duceret, Et inopinantem adoriretur: occasionem autem arripuit tunc primum, quando Fregosus atque Rinconus fuerunt amissi: qua quidem de re quomodo mihi satisfacere voluerit, ipse sum testis, qui fueram arbiter selectus, atque disceptator: hanc igitur obduxit causam novi motus, Et perturbationis reipublicæ, cum tamen multo ante id facere cogitasset: quid vero conati sint Fregosus atque Rinconus, illius mandato, per Italiam atque Turciam, Et quam operam ei sæpe præstiterint, satis est notum: voluerunt enim rempublicam Christia-*

ctis etiam gravissimis pœnis prohibue- Sæcul. XVI.  
 rat Bibliopolis ac Typographis, ne quos- A.C. 1542.  
 cunque libros jam damnatos ac suspe-  
 ctos

*stianam prodicione in summum adducere di-  
 scrimen: non ergo pacis Nicenæ beneficio po-  
 tuerunt frui, qui pacem publicam ipsi viola-  
 runt: deinde, furtim & occulte transcurre-  
 runt per Insubriam cum exulum comitatu,  
 quod ipsum capitale est ejus regionis consuetu-  
 dine: Marchionem Davalum Gallus graviter  
 insimulavit, sed hic sistere se voluit judicio:  
 cur autem illud recusarit, & alias etiam re-  
 pudiarit satisfactiões, non est obscurum: ego  
 quidem, cum mihi satisfactum iri crederem,  
 trajeci in Africam, & misso Legatæ publicam  
 ei commendavi pacem: at licet ample promit-  
 teret, varia tamen adversum me tentavit per  
 Germaniam, & Daniam, aliisque in locis:  
 cogitavit etiam invadere Navarram: in comi-  
 tiis deinde Spiræ totus in hoc fuit per Lega-  
 tos, ut dissidium Religionis aleret, dum utris-  
 que separatim amicitiam, atque favorem pro-  
 mitteret: conatus est Imperii Ordines a bello  
 Turcico deterrere, sollicitavit Turcam, in  
 Italiam misit copias, & per Martinum Rosse-  
 mum in Germania inferiori, per Aurelianum  
 vero Principem filium in agro Lucemburgico  
 mihi bellum intulit, prius quam illud denun-  
 tiasset: reliquas deinde vires omnes ad Hi-  
 spaniæ fines convertit: hic scilicet est fructus  
 ipsius*

Sæcul. XVI. A.C. 1542. ctos divenderent, nominatim vero Joannis Calvinii librum, qui est de Institutione Christianæ Religionis. Ipse etiam Rex ad

*ipsum diligentia, qui tantum illi sum largitus, & toties ad pacem adhortatus: quod etiam Archiepiscopum Valentinum ab eo detineri captivum, & Hispanis aliquot nobilibus atrocem injuriam a Gallis Avenione fieri simul passus, nimia hercle tolerantia fuit: Nunc ergo defensio mihi necessario subeunda, quo tempore etiam in bellum Turcicum me comparavi: & in Germaniam idcirco redire constitui: Injuria quidem est magna, & clades non mediocris, quam ille mihi meisque finibus intulit, sed his omnibus non tam moveor, quam reipublicæ calamitate: nam ad mea privata quantum attinet, quoniam ille subinde discedit a pactis, multo mihi præstat, bellum apertum gerere, quam induciis aut conditionibus insistere, quas ad primam quamque occasionem ille rescindit: pax enim insidiosa est plerumque: nam ille interea struit nova consilia, perniciosas reipublicæ alit factiones, & in hoc versatur totus, ut dispendiis atque sumptibus mihi defatigato difficultatem objiciat resistendi Turcis: & cum eo sit ingenio præditus, liberos etiam ad eandem disciplinam instituit: Jam autem ejus ambitio, & immensa cupiditas ita crevit, ut occultari non possit: illius majores occuparunt Provinciam Gallicam, quæ est ditio-*

ad preces a Fidei Inquisitore factas die  
septima Julii præcepit, ut in sermoni-  
bus atque doctrinæ Christianæ explica-  
tio-

Sæcul. XVI.  
A.C. 1542.

*tionis Imperii: sic ille tenet nunc Sabaudiam,  
& Pedemontii partem, atque ita firmat, ut  
facile appareat, non constituisse eam reddere:  
fuit autem illius propositi, non Insubriam mo-  
do, sed Parmam quoque & Placentiam, ac  
deinde Lucam atque Senas, post etiam Eccle-  
siam Romanæ ditionem involare, quo sic pate-  
factum haberet iter ad Neapolim atque Sici-  
liam: quin eo tendat, non est dubium, & ex  
iis, quæ per Italiam molitur, atque tentat,  
facile potest deprehendi: breviter, cupiditas  
ejus non certis ullis finibus continetur, sed est  
vaga & infinita: neque vero est, quod pacto  
servatarus unquam putetur, quamdiu super-  
erit, quod aliis eripiat, & ad se transferat:  
hoc enim animi morbo, vitioque mentis, velut  
æstu quodam ita rapitur in transversum, ut om-  
nis etiam pietatis atque religionis oblitus cum  
Turca fœdus inierit, & cum hoste reipublicæ  
non consilia modo, sed fortunas etiam com-  
municet, & nunc quoque magnifice jactet, fo-  
re, ut nostros in fines Barbarossa cum classe  
veniat: an hæc ad sanandam rempublicam, & ad  
inchoandum Concilium faciant, ipse deberet  
pro sua prudentia cogitare: semper ille hoc  
egit, ne quando coiret Concilium, quia id ita*

*Hist. Eccles. Tom. XXXVIII. E suis*

Sæcul. XVI. tionibus populi admoneantur, quate-  
A.C. 1542 nus in Ecclesiæ obsequio immoti perfi-  
stant, & eum, quem vel Lutheri erro-  
ribus infectum, vel de Religione perpe-  
ram sentientem nossent, protinus defe-  
rant: Parochi vero ac Vicarii percon-  
tari juebantur, num in suis Parochiis  
quosdam novissent, qui Purgatorium  
non dari affirmant, aut hominem ex bo-  
nis suis actionibus non salvari credant,  
vel doceant, *solum Deum, non item San-  
ctos esse invocandos, venerationem S. Ima-  
ginum esse idololatriam, Sanctos non ope-  
rari miracula, ritus Ecclesiæ nihil prodesse,  
legibus Ecclesiasticis neminem obstringi, om-  
nibus promiscue necessariam esse Evangelii*

co-

*suis privatis rebus utile esse arbitratur: ideo  
ego, cum hoc animadverterem, aliam institui  
rationem conciliandi per Germaniam dissidia  
Religionis, in eoque solum spectavi gloriam  
Dei, & Ecclesiæ dignitatem: quo minus er-  
go Concilium habeatur, illi tribuendum est,  
qui semper impedivit, non mihi, qui tantum  
eo nomine suscepi laboris atque molestiæ: quod  
si igitur Sanctitas sua afflictam rempublicam  
juvare velit, debet ex officio se profiteri illius  
hostem, qui totius perturbationis & calamita-  
tis est author, qui Turcam in rempublicam  
Christianam invitat, & allicit, qui nihil in-  
tentatum relinquit, ut ambitionem & animum*

vin-

cognitionem, *sacras literas lingua vulgari esse legendas, atque ineptum esse, quod vulgus hominum Latino sermone Deum precetur.* Sæcul. XVI.  
A.C. 1542.

Insuper in eos inquirere jubebantur, qui vel traderent, *Sacerdotem non condonare peccata per Sacramentum Pœnitentiæ, eoquod is duntaxat sit Minister Dei, qui solus peccata remittit: Vel docerent, quod Ecclesiæ non licitum sit quempiam adstringere peccato mortali, ac liceat quovis tempore vesci carnibus.* Denique Curiis fuit præceptum, ut denuntientur illi, qui *libros retinent hæreticos, aut privatis in ædibus & hortis conveniunt.* In ejusmodi igitur reos sedulo inquirere jubebantur

E 2

Sor-

*vindictæ cupidissimum exsatiare possit: cum enim ad Sanctitatem orbis Christiani præcipua cura pertineat ex officio pastorali, res ipsa profecto postulat, ne diutius illum ita tumultuari permittat, sed inimicum ei sese declaret: quod si faciat, & bonis omnibus longe gratissimum & ad ceteros quoque Reges in officio continendos, id erit perutile: nam cogendi Concilii, & recuperandæ pacis, & reipublicæ constituendæ hæc una est via: qua quidem in re, si Sanctitas vestra suum faciet officium, non etiam ego deero.*

(\*) Vide §. 40.

Sæcul. XVI Sorbonnæ Doctores, eo fine, ut illos  
A.C. 1542. digna animadversione coerceant. Eadem die, qua hoc edictum promulgabatur, communis decreta fuerat supplicatio, in qua S. Genevesæ imago, ac reliquæ solemniter circumferebantur; & his ipsis fere diebus quidam hæretici fuere combusti.

## §. XXXIX.

*Franciscus Landrus Sanctæ Crucis in civitate Parisiensi Parochus in iudicium vocatus.*

*Steidan. l. c.* Sub idem tempus Parisiis Franciscus  
*p. 471.* Landrus Parochus Sanctæ Crucis in  
*Argent. coll.* civitate in suspicionem trahebatur, perinde ac si novis faveret erroribus, eo quod nunquam rem divinam perageret, se esse abstemium caussatus: Cum vero Facultas Theologica aliunde sat sibi perspectum haberet, quod idem Parochus erroneas opiniones tam in suis sermonibus, quam in aliis occasionibus disseminasset, hinc eum comparere iussit, eidem injungens, ut quamdam doctrinæ normam comprobaret, eique subscriberet. Hæc sequentes continebat fidei articulos: I. *Sacrificium Missæ institutum est a Christo, & prodest tum vivis tum mortuis.* II. *Orandi sunt Sancti, ut sint nobis ad Christum Intercessores & Advocati.* III. *Pa-*

*Panis atque vini substantia in Consecratione* **Sæcul. XVI.**  
*mutatur.* IV. *Sacerdotibus tantum licet* **A.C.1542.**

*consecrare panem & Vinum, atque ad eos*  
*pertinet Cæna Domini tota.* V. *Vota mo-*  
*nastica sunt servanda.* VI. *Confirmatione*  
*& Unctione tanquam Sacramentis confertur*  
*Spiritus sanctus.* VII. *Oratione, jejunio,*  
*bonisque operibus animæ e Purgatorio libe-*  
*rantur.* VIII. *Leges Ecclesiæ de jejunio,*  
*& ciborum delectu obligant in conscientia.*  
 IX. *Unus est summus Ecclesiæ Præsul, at-*  
*que Pontifex; cui jure divino tenentur om-*  
*nes obedire.* X. *Multa sunt credenda, &*  
*neccessario recipienda, quæ non sunt prodita*  
*sacris literis.* XI. *Indulgentiis Pontificiis*  
*condonatur pœna Purgatorii.* XII. *Sa-*  
*cerdotes, etiam impuri & vitiosi, consecrant*  
*Corpus Domini.* XIII. *Peccata omnia*  
*mortalia sunt revelanda Sacerdoti, & sa-*  
*cramentalis absolutio ab eo recipienda.* XIV.  
*Homini est liberum arbitrium, quo potest a-*  
*gere bene vel male, & resurgere a peccato*  
*per pœnitentiam.* XV. *Non sola fide, sed*  
*per charitatem & veram pœnitentiam acqui-*  
*ritur peccatorum remissio.* XVI. *Ecclesia*  
*& Concilia legitime congregata non possunt*  
*errare, eisque parendum est.* XVII. *Ad*  
*Ecclesiam pertinet iudicium, & interpreta-*  
*tio Scripturæ, si quid controversum.* Per-  
 legit Parochus cunctos hosce articulos,  
 eosque pro temporis opportunitate exa-  
 minandi spatium petiit, quod & ipsi da-

Sæc. XVI. tum est. Verum paucis post diebus re-  
A.C. 1542. sponsi loco nil aliud subjunxit, nisi quod  
 sancta & orthodoxa sint ea omnia, quæ  
 circa hæc capita Ecclesia docet; arti-  
 culos tamen sibi propositos sigillo suo  
 firmare renuit: unde Facultas haud  
 contenta mansit, quamvis ab eo tum  
 plura impetrare haud posset.

§. XL.

*Francisci I. apologia contra Cæsarem  
 ad Papam missa.*

*Pallav. hist.*  
*Trid. l. 5.*  
*c. l. n. 1.*

Quamquam Franciscus I. Galliarum  
 Rex, qui Facultatis zelo in omni-  
 bus plene suffragabatur, speciali hac sua  
 sollicitudine satis demonstratum ibat,  
 quod Cæsaris querelæ haud adeo firmæ  
 essent, nihilominus responso magis lu-  
 culento eas diluere suarum partium es-  
 se arbitrabatur: id etiam præstitit edita  
 hanc in rem apologia ad summum Pon-  
 tificem transmissa, in qua Carolo Cæsa-  
 ri multa exprobrabat, ac præcipue ur-  
 bis Romanæ deprædationem, nec non  
 Clementis VII. Papæ captivitatem.  
 Postea mutuæ contentionis originem  
 recenset, totamque dissidii causam in  
 Carolum V. rejicit, & tandem hunc in  
 modum concludit: „Nullatenus in cri-  
 „men vocari valeo, perinde ac si Con-  
 „cilio, ex quo tamen nullum in me re-  
 „dundat commodum, celebrationem  
 „ aut

„aut præpedirem, aut retardarem: Sæcul. XVI.  
 „Præterea Religioni Catholicæ adeo A.C. 1542.  
 „nullum, prout infimulor, damnum in-  
 „tuli, ut etiam juxta Majorum meo-  
 „rum exemplum pro ea conservanda om-  
 „nem sollicitudinem impenderim, cujus  
 „rei testes mihi sunt severa edicta a me  
 „sancita, quorum executio singulis fer-  
 „me diebus in Regno meo urgetur:  
 „quapropter Sanctitatem suam obtestor,  
 „ne calumniis a Cæsare mihi impactis  
 „fidem adhibere, sed potius in me ut-  
 „pote Principe sacræ Sedis obsequio  
 „addictissimo spem suam ponere ve-  
 „lit. „ (\*).

E 4

§. XLI.

(\*) Ita Continuator: Pallavicinus vero, quem idem allegat, Cæsarem ideo Galliarum Regi infensum fuisse commemorat, quia hic bellum eidem palam intulerat, & in Subalpinis & in Belgii atque Hispaniæ finibus, instigato etiam contra Cæsarem Solimano per Antonium Polinum Constantinopolim ablegatum: Galliarum vero Regem objecta cum Solimano fœdera, & subsidia Joanni cum Turcis conjuncto & excommunicato submissa hunc in modum excusasse refert idem Pallavicinus, quia 1. per plurima exempla veteris novique Testamenti ostendi potest, fœdera civilia cum infidelibus minime esse prohibita. 2. Quia pro Joanne causæ ratio & æquitas staret. Ad utramque ta-

men

Sæcul. XVI.  
A.C. 1542.

§. XLI.

Pontificis studium in reconciliando  
utroque Principe.

*Sleid. comm.*  
l. 15. p. 479.

Cum igitur Papa pro suorum Prædecessorum more communis omnium Patris partes in hac occasione agere percuperet, hinc Contarenum & Sadoletum Cardinales Legatos decernebat, qui tam Cæsaris quam Galliarum Regis aulam accederent, ambosque hosce Principes ad concordiae pacisque consilia plene revocarent, eosque rogarent, ut ob publicam Christianæ Reipublicæ salutem privata seponerent odia, ne forte suis discordiis proximæ Synodi celebrationem ac Religionis Catholicæ, quæ in Provinciis Lutheri hæresi infectis exulabat, revocationem præpedirent: cum autem brevi post horum Oratorum nominationem Contarenus fatis functus esset, eidem Pontifex subrogabat Michaellem Sylvium Cardinalem, & Vifensem Episcopum Lusitanum. Ea res ingenti admiratione defixit Romanæ Curie Ministros,

men hanc excusationem Pallavicinus subjungit: *sed utrumque sapienti libertate refellitur a Belluario Gallo, satis gnaro, Scriptorem in suorum Principum laudes semper profusum.* Quæ vero Continuator de edictis recenset, Pallavicinus reticet,

stros, quibus haud ignotum erat, quod Sylvius apud Cæsarem, ad quem decernebatur, parum gratia & auctoritate valeret; quam quoque ob causam prospero legationis suæ successu frustrabatur: Verum haud felicior erat Sadoletus ad Galliarum Regem missus, eoquod bellum inter utrumque Principem jamjam denuntiatum fuisset.

Sæc. XVI.  
A.C. 1542.

## §. XLII.

*Henricus VIII. de luxuriosa Regi-  
næ vita per Cranmerum cer-  
tior factus.*

EO ipso temporis articulo, quo Henricus VIII. de suis nuptiis nuperrime cum Catharina Howarda contractis sibi vel maxime applaudebat, Cranmerus Cantuariensis Archiepiscopus Regis lætitiam haud parum perturbabat, eidem exponens, quod hæc nova Sponsa liberiori vitæ licentia atque luxuria difflueret; cum enim Rex Eboraci ageret, quidam nomine Lasselsius huic Archi-Præfuli nuntiatum venerat, se a sua sorore, quæ longo jam tempore Viduæ Norfolciæ Ducissæ ab obsequiis erat, percepisse, quod Regina adhuc innupta flagitiosæ ac perditæ libidini totam sese dedisset, imo nunc quoque, etsi Regi esset desponsata, iisdem tamen nefariis vo-

Burnet. hist.  
Reformat.  
t. 1. l. 3. p.  
427.  
Sander. de  
Schif. Angl.  
p. 201.

Sæcul. XVI. A. C. 1542 luptatibus indulgere pergeret, atque inter ceteros Scortatores præcipue Franciscum Dirhamum, & alium nomine Mannockium frequenti admodum consuetudine foveret. Arcanam hanc Laffelsii relationem Cranmerus mox Cancellario, ac quibusdam aliis, qui Regi a secretioribus consiliis Londini erant, communicabat; hi autem una omnes communi suffragio decreverunt, Regem ab Eboracensi urbe reducem a Cranmero de tota rei serie esse edocendum. Hic itaque libellum, quem confecerat, Henrico tradidit, rogavitque, ut eum remotis arbitris perlegeret. Primo quidem Rex calumniis Reginam appeti censebat, arcani tamen sigilli Præfecto in mandatis dedit, ut quæsito prætextu Laffelsium adiret, atque ex eo rem clam explorare satageret. Hic cuncta, quæ prius deposuerat, constanter affirmavit, ipsiusque soror itidem interrogata simul omnia, quæ ejus frater asseruerat, confirmavit; horum igitur testimoniis convicti Dirhamus & Mannockius in vincula conjiciebantur, atque atrociora, quam ab eis petebantur, facti sunt scelera. Gravis insuper suspicio cadebat in alium quemdam nomine Culpeperum; nam hunc Rochfordiæ Ducissa, quæ olim Maritum suum de turpi commercio cum Anna Bolena accusaverat, hora noctis

un-

undecima, dum Rex Lincolnæ agebat, Sæc. XVI.  
A.C 1542.  
in Catharinæ Reginæ cubiculum intro-  
duxit, in quo ipse usque ad quartam  
diei horam matutinam permanfit, atque  
a Regina, priusquam dimitteretur, ca-  
tenam auream unacum vitta cubiculari  
auro affabre texta dono accepit.

## §. XLIII.

*Regina crimen suum confessa, ac Ju-  
dicibus tradita.*

Perceptis horum testimoniis Archiepi- Sleid. l. 14.  
p. 457.  
scopus Cantuariensis, ac nonnulli a- Burnet. l. c.  
p. 430.  
lii Regis Consilarii Reginam quæstioni Spond. hoc  
ann. n. 7.  
subjicere jubebantur, quæ quidem pri-  
mo crimina sibi objecta pernegabat, cum  
autem iterato examine cuncta ejus sce-  
lera omnino detecta comperiret, se vi-  
tam adeo flagitiosam duxisse fatebatur,  
suamque confessionem proprio chirogra-  
pho firmabat. Inde haud parum tur-  
babatur Henricus Rex, moxque Dirha-  
mum, Mannockium & Culpeperum  
mortis supplicio plecti jussit; cum vero  
accusationum capita adversus Reginam  
delata ad Parlamentum referri vellet,  
hinc die vigesima sexta Januarii Sena-  
tum convocavit, ac percepta illorum,  
quibus hæc caussa committebatur, rela-  
tione, ac delicto idoneis testibus com-  
probato, utraque Regis Curia senten-  
tiam pronuntiarunt, in qua Regem exo-

ra-

Sæc. XVI. rabant, ne ob adversam sortem suam ni-  
 A.C. 1542. mium affligeretur, illisque veniam con-  
 cederet, qui adversus Reginam testes e-  
 gerunt. Postea exponebant, quod Ca-  
 tharina studiose suis domesticis annu-  
 meraverit præter Dirhamum quamdam  
 fœminam, quæ nefandi utriusque com-  
 mercii testis erat; inde vero haud ob-  
 scure colligi aiebant, quod ejusmodi sce-  
 leratam vitam continuo ducere statuis-  
 set. Denique idem Senatus Regem  
 exorabat, quatenus consentiret, ut in  
 Reginam, ejusque complices, atque  
 præter alios in Rochfordiæ Ducissam,  
 cum omnes hi læsæ Majestatis rei es-  
 sent, judicii acta instrui, atque omnes  
 capitali sententia plecti possent: Cum  
 vero Vidua Norfolciæ Ducissa Reginæ  
 Avia, nec non Guilielmus Howardus  
 ejusdem Pater, ac Howarda illius Ma-  
 ter præter Brigewateris Comitissam, a-  
 liasque quinque fœminas, & quatuor  
 Viros turpe Reginæ commercium pro-  
 be perspectum habuissent, nec tamen  
 ea de re Regem certiozem fecissent,  
 eapropter Senatus itidem rogabat, ut  
 pariter omnes hosce ad suum judi-  
 cium vocare possent.

## §. XLIV.

Sæc. XVI.  
A.C. 1542.*Regina cum ceteris capite plexa.*

Cunctis Senatus postulatis Henricus Rex non modo annuit, sed etiam regiis literis latam mortis sententiam confirmavit, unde die duodecima Februarii in ipso turris Londinensis foro Regina unacum Rochfordiæ Ducissa capite plexa est; illa enim, ut antea falsa fuerat, se ante nuptias cum Rege nefandis amoribus fuisse irretitam rursus affirmabat, constanter vero, addita etiam juramenti religione, ac interposita quoque æternæ suæ salutis fide inficiabatur, quod ab eo tempore, quo Regi nupisset, unquam iis criminibus, de quibus accusabatur, sese contaminasset. Porro in illa sententia, qua morti adjudicabatur, fuit declaratum, quod læsæ Majestatis rea, ac mortis supplicio obnoxia esset quæcunque fœmina, quam Rex pro Virgine duceret, illa vero prius corrupta esset, nisi ante contractum Matrimonium violatæ virginitatis suæ jacturam Regi revelasset. Eadem supplicii severitate Senatus plectendos pronuntiavit illos omnes, qui de amissa ejusmodi fœminæ pudicitia conscii ejusmodi vitium non manifestarent. Hanc Senatus sententiam populus libere carpebat, contendebatque, juri naturæ adversari

Sander. de  
Schismat.  
Angl. l. 2.  
p. 202.

Sæcul. XVI. fari, quod ipsemet Pater vel Mater filiæ  
 A.C 1542. suæ turpitudinem revelare cogeretur;  
 eapropter hujus edicti severitatem Rex  
 temperabat, ac potissimis eorum, qui  
 morti addicebantur, vitæ veniam con-  
 cessit, quamvis eorum nonnulli diutur-  
 no carcere tabescere compellerentur.  
 Postrema autem sententiæ clausula, qua  
 quælibet puella, priusquam Regi nube-  
 ret, indicta mortis pœna lasciviæ suæ  
 crimen detegere jubebatur, tanquam  
 res omnino risu digna explodebatur, at-  
 que facetis ingenii ad maledica carmi-  
 na uberrimum suppeditabat argumen-  
 tum.

## §. XLV.

*Contentio in Cleri conventu mota cir-  
ca sacri Codicis versionem.*

*Burnet. l. c.  
 p. 432.  
 Act. publ.  
 Angl. t. 14.  
 p. 745.*

Sub idem tempus Clerus Anglicanus,  
 qui tum comitia agebat, præcipue  
 ad id intentus erat, ut novam sacræ Pa-  
 ginæ versionem discuteret, hancque in  
 rem quosdam, qui illam recognosce-  
 rent, Episcopos nominabat. Hi, qui  
 Religioni Catholicæ favebant, unanimi  
 suffragio censebant, hanc versionem er-  
 roribus adeo plenam esse, ut sine ingen-  
 ti animarum damno ejusdem lectio po-  
 pulo permitti haud possit, nisi prius ex-  
 purgetur. Hæc erat Gardineri opinio,  
 quæ solidis sane rationibus innixa vide-  
 ba-

batur. Ex aduerso autem Cantuariensis Archiepiscopus Gardineri sententiam edoctus a Rege impetravit, ut hujus versionis emendatio duabus Regni Universitatibus committeretur, apud has enim longe majori, quam apud Cleri conventum auctoritate valebat Archiepiscopus. Huic equidem consilio obluctabantur Episcoporum non pauci, imo inter eos nonnulli suam oppositionem ad acta referri curabant: Verum inutilis erat eorum repugnantia; quippe Rex jamjam mentem suam desuper declarabat, nec ullo pacto sibi contradici sustinebat. Nec his contentus erat, insuper die duodecima Martii cuidam Londinensi Bibliopole privilegium concessit, vi cujus sacrum Codicem anglice redditum impune prelo subjicere posset: ex qua agendi ratione haud temere conjiciebatur, quod Universitates ad examinandam hanc versionem nominatæ nequidem illam emendaverint, cum haud vero simile videatur, quod inter tantas temporis angustias illam recognoscere potuerint.

## §. XLVI.

*Bonneri Episcopi Londinensis  
edictum.*

**E**volutis quibusdam diebus Cleri conventus solvebatur, cum autem Bonnerus Londinensis Episcopus, qui nunc  
Ca-

Sæcul. XVI.  
A.C. 1542.

Sæcul. XVI. Catholicis, mox vero Lutheri Sectatoribus favebat, nullam aliunde Religionem præter cœcum regis voluntati in omnibus obsequendi studium coleret, hinc quoddam edictum Henrici Regis jussu promulgavit, cujus summa hæc est.

A.C. 1542

I. Omnes & singuli regis mandatis omnino obtemperent. II. Ecclesiastici singulis diebus unum sacræ Paginæ caput unacum cujusdam probati Doctoris commentario perlegant, nec non seriatim mente recolant, ac memoriæ suæ imprimant, ut desuper rationem reddere possint. III. Assiduæ insuper vacent lectioni libri illius, quem Episcopi *de Institutione Christiana* ediderunt. IV. Ad Londinensem Episcopum omnes Vicarii accedant, eo fine, ut vel ipse, vel ejus jussu illius Ministri eos examinent. V. Clandestina connubia omnibus viribus præpediant. VI. Nec vidui, nec viduæ ad secundas nuptias transire permittantur, nisi saltem idoneum testimonium de morte primi mariti vel uxoris proferant. VII. Sedulo Ecclesiastici instituendæ juventuti incumbant, atque pueros fidei elementa edoceant, illosque in Christianæ doctrinæ præceptis, nec non in debito precibus ad Deum fundendi modo, aliisque sanctæ vitæ exercitiis imbuant. VIII. Parochi ad id sint intenti, ut capitali inimicitia se junctos

re-

reconcilient, suisque Parochianis virtu-  
 tum exemplo præluceant. IX. Sa-  
 cram Synaxin illis denegent, qui apud  
 proprium Pastorem peccatorum sordes  
 non expiarunt. X. Prohibeant, ne sui  
 subditi diebus festis ac dominicis popi-  
 nas frequentent, aut neglecto Ecclesiæ  
 accessu lusibus tempus impie consum-  
 mant. XI. Qualibet sexta septimana  
 populo explicentur septem peccata ca-  
 pitalia, nec non decem præcepta De-  
 calogi. XII. Nullus Presbyter sacer-  
 dotalem togam deponat. XIII. Nul-  
 lus etiam, nisi saltem sit approbatus,  
 rem divinam peragere permittatur.  
 XIV. Parochi admoneant suos fideles,  
 ut a blasphemis, maledicentia, forni-  
 catione, gula & ebrietate, nec non a  
 temere jurandi ac calumniandi consue-  
 tudine abstineant: hos vero, quos ho-  
 rum criminum reos deprehenderit, Pa-  
 rochi juxta Canonum præscripta casti-  
 gent. XV. Omnis lusus illicitus, nec  
 non tabernarum, in quibus vinum vel ce-  
 revisia venditur, accessus sit Clero prohi-  
 bitus, nisi forte urgens necessitas excu-  
 set. XVI. Ludos theatrales, aut co-  
 micas fabulas in Ecclesiis exhiberi pro-  
 hibeant. XVII. Nullos sermones ex  
 illis, qui postremis duobus, aut tribus  
 sæculis fuere declamati, ad populum  
 dicant, sed duntaxat illius diei episto-  
 lam

*Hist. Eccles. Tom. XXXVII.*

F lam

Sæcul. XVI  
A.C. 1542. lam atque Evangelium exponant, nec non de Sacramentorum usu, Missæ sacrificio ac ritibus Ecclesiæ agant, nullas autem fabulas immisceant. XVIII. Prohibeant, ne quisquam nisi obtenta Ordinarii vel Regis licentia concionem habeat.

## §. XLVII.

*Legati ad Concilium Tridentinum a Papa nominati.*

*Pallav. hist.  
Trid. lib. 5.  
c. 1. n. 7.  
Ciacon. in  
vit. Pontif.  
t. 3. p. 536.*

Interea Paulus III. Pontifex maximus, postquam Concilium die prima proximi mensis Novembris Tridenti celebrandum indixerat, suos nominavit Legatos, qui ipsius nomine ibidem præfessent, atque solemne Synodo initium darent. Horum ex Cardinalibus tres erant, ac primus quidem nomine Paulus Parisius Pontificii Juris peritia plurimum eminebat, alter vero Joannes Moronus singulari in rebus politicis prudentia clarus erat, tertius denique Reginaldus Polus natione Anglus Theologiæ studio inclarescebat. Hunc præ ceteris selegit Pontifex, ut Angliæ Regnum ab hoc Concilio minime excludi ostenderet, quamvis illius Rex sese ab Ecclesiæ Romanæ communione segregasset. Cunctis igitur hisce Sedis Apostolicæ Nuntiis Legationis suæ Diploma expediri jussit, eisque injunxit, ut

ut statim ac Tridentum pervenissent, Sæcul. XVI.  
A C. 1542.  
dextere Prælatos atque Legatos ad Synodum confluentes foverent, nunquam tamen de negotii summa privatim cum eis agerent, donec mandata opportuno tempore transmittenda recepissent. Insuper eisdem dabatur negotium, ut Legationis suæ rationes Principibus redderent, eosque hortarentur, ut suarum ditionum Episcopos ad Concilium ablegarent, nec non convocationis Diploma ut omnibus innotescat, majoris Ecclesiæ valvis affigi permetterent. Denique Legatis injungebatur, ut ante inchoatam Synodum nullam cum hæreticis disputationem inirent, sed cum illis moderate admodum agerent, nec prius Concilio initium darent, quam eo frequens Episcoporum numerus ex Italia, Germania, Francia & Hispania convenisset.

## §. XLVIII.

*Papæ Nuntii unacum Cæsaris Legatis Tridentum venientes.*

Quamprimum Cæsar, qui tum Madri- Belcar. com.  
l. 23. n. 24.  
§ 23.  
ti agebat, de Legatorum Cardinalium nominatione certior fieret, mox Jacobo de Mendoza tum apud Venetorum Rempublicam Legato, nec non Nicolao Granvellano, atque Atrebatensi Episcopo istius filio in mandatis dedit,

F 2

ut

Sæcul. XVI. ut & ipsi unacum quibusdam Neapoli-  
A.C. 1542. tani Regni Præfulibus tanquam Cæsaris  
 Legati Tridentum contenderent: For-  
 te Cæsar haud sperabat, quod in præ-  
 senti rerum ac temporum vicissitudine,  
 ubi a Gallis bello premebatur, quic-  
 quam pro Religionis incremento decidi  
 posset; nihilominus tamen fors sollicitè  
 præcavebat, ne quid in auctoritatis  
 suæ præjudicium in Concilio decidere-  
 tur (\*).

Pariter summus Pontifex quosdam  
 Italiæ Episcopos Tridentum petere ius-  
 sit; hi vero lento admodum pede iter  
 suum prosequerentur (\*); nihilominus  
 Cæsaris Legati, cum præstituto tempo-  
 re advenissent, Principis sui literas Pa-  
 pæ Nuntiis porrexerunt, impense effla-  
 gitantes, ut tandem Synodus inchoare-  
 tur. Verum hi eorum precibus deferre  
 renuebant, cum haud consultum fore

---

(\*) Ita Continuator alienæ laudis invidus,  
 pia Cæsaris Synodi celebrationem promovendi  
 studia sinistre pro arbitrio suo interpretatur, nul-  
 lo alio livoris sui compendio, quam ut partium  
 studio abreptus improbos aliorum Concilium  
 impediendi conatus per calumnias in illius fau-  
 tores effusas honestare voluisse, a prudenti Le-  
 ctore credatur.

(\*\*) Suavis commentum confutavit Palla-  
 vicinus lib. 5. c. 4. n. 4.

re arbitrarentur, ut initium daretur Con- Sæcul. XVI.  
 cilio, cum non modo valde exiguus Epi- A. C. 1542.  
 scoporum numerus confluisset, sed in-  
 super omni adhuc ex parte belli flam-  
 mæ exardescerent. Ad hæc Gran-  
 vellanus respondit, quod interea fal-  
 tem morum emendationi, quæ haud  
 gravibus adeo controversiis esset obno-  
 xia, opera dari posset: Ast Legati  
 Granvellano reponebant, quod hoc ne-  
 gotium, cum plures nationes respiceret,  
 coram omnibus quoque pertractandum  
 foret, quapropter illi hujus dubii deci-  
 sionem relinquebant iudicio Pontificis,  
 qui ineunte anno proximo illis injunxit,  
 ut Romam reverterentur, eoquod Con-  
 ciliium ad aliud tempus differre oportere-  
 ret.

## §. XLIX.

*Octo Cardinales a Paulo III.  
 creati.*

Præter Joannem Moronum, qui fuit *Ciac. in vit.*  
 Legatorum unus, etiam Paulus III. *Pont. tom. 3.*  
 Papa hoc eodem anno insuper septem *p. 677.*  
 alios Præsules die trigesima prima Maji  
 ad Cardinalium dignitatem evexit. Hos  
 inter primus erat Marcellus Crescentius  
 patria Romanus, Marsicanæ Ecclesiæ E-  
 piscopus, Presbyter Cardinalis titulo  
 SS. Joannis & Pauli. II. Joannes Vin-  
 centius Aquaviva de Arragonia Neapo-

**Sæcul. XVI.** litanus, Melphienſis Epiſcopus, itidem  
**A C. 1542** Presbyter Cardinalis titulo S. Sylveſtri  
 & S. Martini in Montibus. III. Pomponius Cæcius Romanus, primo civitatis Caſtellanæ, poſtea Colonæ Sutrinæ Antifteſ, ac Vicarius Papæ, nec non Cardinalis Presbyter titulo S. Cyriaci. IV. Robertus Puccius patria Florentinus, Piſtorienſis Epiſcopus, Presbyter Cardinalis titulo SS. quatuor Coronatorum, & major Pœnitentiarius. V. Joannes Moronus, cujus ſupra meminimus, Mediolanenſis, Mutinenſis Epiſcopus, Presbyter Cardinalis titulo S. Vitalis. VI. Gregorius Cortefius, Mutinenſis, Abbas Montis Caſſini, Presbyter Cardinalis titulo S. Cyriaci, poſtea Urbini Epiſcopus. VII. Thomas Badia Theologus, ac Ordinis FF. Prædicatorum alumnus, ſacri Palatii Magiſter, & Presbyter Cardinalis titulo S. Sylveſtri in Campo Martio. VIII. Chriſtophorus Madrucius, Tridenti in patria ſua urbe Epiſcopus, Presbyter Cardinalis titulo S. Cæſarii, & Epiſcopus Præneſtinus, qui tamen ultimus tunc nondum publice Cardinalis fuerat declaratus.

§. L.

*Aleandri Cardinalis obitus.*

Hos

Hos inter Pomponius Cæcius tertio Sæc. XVI.  
 post electionem mense die quarta A.C.1542.  
 Augusti e vivis excessit. Erat is Vir Ciac. p.623.  
 Philosophiæ ac Astronomiæ scientiis Spond. hoc  
 longe clarissimus, sepultusque est in Ec- ann. n. 16.  
 clesia S. Joannis in Laterano, ubi etiam  
 Canonicus erat.

Hoc item anno quatuor alii Cardi-  
 nales mortalitatem exuerunt, ex quibus  
 primus erat Hieronymus Aleander,  
 Mottæ, quæ exigua urbs est in Foro-Ju-  
 lii & Histriæ finibus sita, anno Domini  
 millesimo quadringentesimo octogesimo  
 die decima tertia Februarii natus. Ejus  
 Pater nomine Franciscus Aleander, pro-  
 fessione Medicus, summa sollicitudine  
 Hieronymum filium suum educavit,  
 eumque literis imbuendum Venetias &  
 ad Portum Naonem misit, ubi non nisi  
 quindecim annos natus humaniores li-  
 teras tradidit, sibi que magnam nominis  
 sui famam conciliavit. Progressu tem-  
 poris præter Mathematicas & Physicas  
 disciplinas etiam Medicinæ, nec non ad-  
 discendæ Græcæ ac Hebraicæ linguæ  
 operam dedit, in quo studio opitulante  
 stupendæ prorsus memoriæ felicitate  
 tantos fecit progressus, ut utrumque  
 idioma mira facilitate scriberet, atque  
 enuntiaret. Tam rara igitur meriti fa-  
 ma ad Alexandrum VI. Papam delata,  
 ab eodem selectus est, ut filio suo ab epi-

Sæcul. XVI. stolis esset, postea vero in Hungariam  
 A.C. 1542 velut Papæ Legatus decernebatur, ve-  
 rum morbo admodum periculoso obru-  
 tus alibi sortem suam experiri cogeba-  
 tur, unde a Ludovico Rege accersitus in  
 Gallias venit, ibidemque regio Diplo-  
 mate civitatis jure donabatur, atque U-  
 niversitatis Parisinæ Rector, nec non  
 Græcæ linguæ Professor renunciatus,  
 demum Aureliæ ac Blesi publice hoc  
 idioma tradidit. Posthæc Stephanus  
 Poncherus Parisiensis Episcopus eun-  
 dem ad se venire rogavit, quo ægre ad-  
 modum permittente Hieronymus profe-  
 ctus est ad Erardum de la Marck Leo-  
 diensem Episcopum, qui eum non mo-  
 do in suum sibi Cancellarium, sed etiam  
 Ecclesiæ suæ Præpositum elegit, illum-  
 que amica vi compulit, ut Romam ver-  
 sus itineris focius esset, ubi a Leone X.  
 Papa, qui eum in sua aula detinuit, an-  
 no Domini millesimo quingentesimo de-  
 cimo nono in Germaniam tanquam Se-  
 dis Apostolicæ Nuntius decernebatur,  
 ac demum, licet absens, anno Christi  
 millesimo quingentesimo vigesimo post  
 Zenobii Acciajoli obitum Bibliothecæ  
 Vaticanæ præficietur. Porro lega-  
 tionem suam cum ingenti applausu obi-  
 bat, ab omnibus non modo ob dignita-  
 tis suæ prærogativam, sed etiam pro-  
 pter doctrinæ & eloquentiæ præstantiam  
 ubi-

ubique maximi habitus, præcipue ve-  
 ro in Wormatiensi Conventu, ubi soli-  
 das omnino tres horas contra Lutheri er-  
 rores declamabat, non sine prospero ze-  
 li sui successu: quamvis præpedire haud  
 posset, quo minus hic idem Hæresiar-  
 cha in hisce comitiis audiretur: recu-  
 sabat tamen Hieronymus cum eo in are-  
 nam descendere, tantumque efficiebat,  
 ut ejus libri igni traderentur, & ipse pro-  
 scriberetur, quin imo Hieronymus edi-  
 ctum promulgavit, quo Lutherus etiam  
 condemnatus fuit: Posthæc cum Alean-  
 der Wormatia reversus esset, a Clemen-  
 te VII. Brundusino Archiepiscopatu ho-  
 noratus tanquam Papæ Nuntius in Fran-  
 ciam mittebatur, ac Franciscum I. Gal-  
 liarum Regem eodem tempore comita-  
 batur, quo hic Princeps in Papiensi præ-  
 lio captus fuerat: Anno autem salutis  
 millesimo quingentesimo trigesimo pri-  
 mo ab eodem Papa rursus in Germa-  
 niam Legatus mittebatur, ubi brevi to-  
 tam rerum faciem penitus immutatam  
 experiebatur; „ nam populus, inque-  
 „ bat Aleander, in Protestantium urbi-  
 „ bus haud ultra tam infano furore ad-  
 „ versus sacram Sedem tumultuabatur,  
 „ plebs; tamen in Catholicorum civita-  
 „ tibus ad excutiendum Pontificis obse-  
 „ quium, atque ad aucupanda Ecclesia-  
 „ rum bona juxta Protestantium exem-

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1542.

F 5

„plum

Sæcul. XVI., plm valde propensum exhibebat ani-  
A.C. 1542. „mum. „ Porro Aleander, irrito licet  
 conatu, nulli tamen pepercit labori, ut  
 Carolum V., ne Principibus Lutheranis  
 inducias concederet, præpediret; po-  
 stea autem Venetias reversus, a Paulo  
 III. Romam accitus est, ut anno post  
 Christum natum millesimo quingentesi-  
 mo trigesimo sexto in laboris sui præ-  
 mium sacra purpura decoraretur. In-  
 super Legatus nominabatur, ut Conci-  
 lio Vicentiæ celebrando præesset, cum  
 autem hoc propositum successu suo fru-  
 straretur, Aleander itidem Apostolici  
 Legati munere insignis in Germaniam  
 venit, verum hoc anno die prima Fe-  
 bruarii Romam reversus ibidem obiit,  
 eodem tempore, quo præclaræ suæ lu-  
 cubrationi contra scientiarum Professo-  
 res, quod tamen opus nunquam publi-  
 cam lucem aspexit, ultimam manum ad-  
 movere parabat, ac ipse, ut Tridentinæ  
 Synodo præesset, destinabatur. Eo  
 tempore Aleander circiter sexagesimum  
 secundum ætatis suæ annum agebat,  
 forte longius vitæ suæ dies protractu-  
 rus, si Medicorum, qui remediorum vio-  
 lentia ejus vires exhauferunt, consiliis  
 minus faciles aures præbuisset. Poste-  
 ris reliquit quædam carmina, dialogos  
 ac quasdam epistolas, quæ de rebus Ec-  
 clesiæ agunt. Corpus ejus Mottam  
 trans-

translatum, atque ibidem in Ecclesia S. Sæc. XVI.  
 Nicolai sepultum est. A.C. 1542.

§. LI.

*Cæsarini Cardinalis extrema.*

**A**lter erat Alexander Cæsarinus patria *Ciac. l. c.*  
 Romanus, qui primo Protonotarius *p. 404.*  
 Apostolicus creatus est, postea vero spe- *Aubery vie*  
 ciali amicitia Medicææ familiæ Princi- *des Card.*  
 pibus junctus a Leone X. Papa, qui ex *Ughel. in*  
 eodem genere ortum duxerat, die pri- *Italia sacra.*  
 ma Julii anno salutis millesimo quingen-  
 tesimo decimo septimo Cardinalis Dia-  
 conus titulo SS. Sergii & Bacchi renun-  
 tiatus est: Clemens autem VII. Papa  
 hunc titulum commutavit, atque Ale-  
 xandrum Ecclesiæ ad S. Mariam in Via  
 lata adscripsit, ac denique Paulus III.  
 Albanensem, Prænestinam & Pampe-  
 lonensem Ecclesiam eidem regendam  
 concessit. Præterea administravit Cæ-  
 sarinus Hidruntinum, Brixientem, alios-  
 que Episcopatus: electo autem in Pon-  
 tificem Adriano VI. a S. R. E. Cardina-  
 lium Collegio Cæsar-Augustam missus  
 fuit, ut novum Papam veneraretur, ac  
 cum eo de maximi momenti negotiis  
 conferret. Dein post urbis Romanæ di-  
 reptionem obses Cæsareis copiis datus,  
 a Paulo III. unacum Cardinale Senensi,  
 Episcopo Ostiensi Legatus ad Carolum  
 V. Cæsarem decernebatur, ut eidem ob  
 Afri-

Sæc. XVI. Africanam expeditionem, nec non vi-  
A.C. 1542. ctoriam, quam Tuneto expugnato de  
 Turcis retulerat, gratularetur. Anno  
 Incarnationis millesimo quingentesimo  
 trigesimo septimo mense Junio ab eo-  
 dem Pontifice, qui Cæsarem ac Fran-  
 ciæ Regem firmæ pacis vinculo conjun-  
 gere percupiebat, unacum Cardinali-  
 bus Senensi, & Ghinuccio ad ambos  
 hosce Principes ablegabatur, nec non  
 ab eodem Pontifice ad plura alia nego-  
 tia tandem perficienda seligebatur, imo  
 erat etiam unus inter reliquos, qui ad  
 Concilium, quod paulo post Paulus III.  
 celebrare decreverat, dirigendum de-  
 stinabantur. Ceterum Vir erat sum-  
 ma integritate percelebris, ac litera-  
 rum omnium amantissimus. Recenset  
 Ciaconius duas epistolas ad eum a Sa-  
 doleto Cardinale scriptas, ex quibus  
 fat luculenter demonstratur, quanti to-  
 tum sacrum Purpuratorum Collegium  
 hunc Virum fecerit. Obiit Romæ die  
 decima tertia Februarii anno Domini  
 millesimo quingentesimo quadragesimo  
 secundo, & corpus ejus ad Ecclesiam  
 Aræ Cœli in familiæ suæ sacello sepul-  
 turæ datum fuit. Paulus Jovius iti-  
 dem hunc Cardinalem amplissimis cele-  
 brat elogiis.

§. LII.

Sæcul. XVI.

A. C. 1542.

*Caspari Contareni Cardinalis fata.*

Tertius inter Cardinales hoc anno mortuos erat Casparus Contarenus, qui anno Salvatoris millesimo quadringentesimo octogesimo tertio clarissimo genere Venetiis ex Aloysio Contareno & Polixena Malipetria parentibus nascebatur. Is cum adulesceret, magnam ingenii aciem, tantamque ad literarum studia propensionem præseferbat, ut ejus Pater consilium, quod de puero conceperat, mutaret; nam eum antea mercaturæ exercendæ destinaverat; quippe hoc commercii genus Venetæ nobilitati non modo non turpe, sed & honestum est: postquam vero egregias filii sui dotes magnam spem polliceri cernebat, eundem Antonio Justiniano & Laurentio Bragedeno Magistris in humanioribus literis, ac philosophicis disciplinis erudiendum tradidit, postea autem Casparus Patavium profectus utebatur magisterio Petri Pomponatii, Viri longe eruditissimi, adversus quem etiam libellum de immortalitate animæ conscripsit; Emenso igitur studiorum curriculo sua obsequia Venetæ Reipublicæ sacrare cœperat, atque ab eadem ad Carolum V. Cæsarem Orator mittebatur, quo munere tam præclareungebatur, ut inde

re-

Sæc. XVI.  
A.C. 1542.

redux percelebri quadam Præfectura decoraretur. Paulo post itidem Legatus Romam, ac demum Ferrariam decernebatur, ut Clementem VII. Papam ex arce S. Angeli, ubi post urbis deprædationem anno partæ salutis millesimo quingentesimo vigesimo septimo a Cæsareo milite captus detinebatur, libertati suæ restitui curaret, quo negotio feliciter peracto, ac Pontifice paulo post liberato, ad eum Contarenus Reipublicæ jussu Legatus profectus est, eidemque præclara admodum obsequia præstitit, demum vero per aliquot annos hac legatione sua functus Venetias rediit, atque ad summos honorum gradus euectus inter Reipublicæ Senatores cooptatus est.

Anno Christi millesimo quingentesimo trigesimo quinto a Paulo III. Pontifice maximo, qui non modo hujus viri merita bene cognoverat, sed sacrum Collegium eximiis illius dotibus plurimum honorari augerique cernebat, Cardinalium albo adscriptus est, quamvis hanc dignitatem adeo non ambiret, ut accepto Venetiis nuntio, nulli magis, quam Contareno ea res prorsus incredibilis videretur, quapropter in iis, qui Contareno hanc dignitatem gratulatum veniebant, major animi lætitia deprehendebatur, quam in ipso Cardinale, qui ob-

obsequiosas hasce salutationes invitus Sæcul. XVI.  
 excepit. Nihilominus cedere compul- A.C. 1542.  
 sus Romam venit, peractisque inaugu-  
 rationis suæ solemniis, Pontificis con-  
 sortio honoratus anno post Christum na-  
 tum millesimo quingentesimo quadra-  
 gesimo primo Legatus in Germaniam  
 ab eodem Papa mittebatur, verum pau-  
 lo post inde revocabatur, eoquod Ro-  
 mana Curia de ejus legatione parum  
 contenta videretur, imo non deerant,  
 qui eum accusarent, quod Protestantibus  
 plus æquo indulisset, nec debita  
 animi firmitate eorum ausibus restitisset.  
 Equidem Fregosius Cardinalis, licet ab-  
 sens, hunc Virum contra plurium ob-  
 trectatorum calumnias egregie propu-  
 gnabat, ejusque innocentiam toto studio  
 vindicare satagebat, illius tamen inimi-  
 ci suæ convitiandi libidini haud ultra  
 modum ponentes, illum publice infu-  
 mulabant, quod Lutheri Sectatoribus  
 faveret; quin imo etiam illi, qui ad-  
 hucdum ejus famæ non nihil parcere  
 videbantur, spargebant tamen, quod  
 nimia lenitate usus, animique firmita-  
 te destitutus summi Pontificis auctori-  
 tatem in discrimen adduxisset. Verum  
 Contarenius Romam reversus, quod cun-  
 cta sibi demandata negotia prorsus in-  
 tegra fide administrasset, tam luculentis  
 comprobavit argumentis, ut Ponti-  
 fex,

Sæcul. XVI.  
A.C. 1542. fex, quamvis antea hujus Viri integritatem suspectam habuisset, operam ab eo navatam amplissimis laudibus extolleret, eumque Bononiam ablegaret, ubi etiam die prima Septembris hora meridiana rebus humanis valedixit, annos natus quinquaginta novem.

§. LIII.

*Cardinalis Contareni Opera.*

*Ciac. p. 597.*  
*Dupin. l. c.* Plura ingenii sui monumenta posteris reliquit Contarenius, atque inter cetera præcipue celebratur I. liber de immortalitate animæ adversus Pomponatium, in quo ex ipsis naturæ principiis animam esse immortalem demonstrat contra sententiam præfati Scriptoris, qui propugnabat, quod hæc veritas nequaquam rationibus comprobari, sed per solam fidem addisci possit. II. Scripsit idem Cardinalis quatuor libros de septem Sacramentis. III. Duos tractatus de officio Episcopi. IV. *Scholia in Epistolas D. Pauli.* V. *Summam Conciliorum magis illustrium.* VI. Confutationem quorundam articulorum, seu quæstionum Lutheri. VII. Quosdam tractatus de Justificatione, Prædestinatione, & libero Arbitrio. VIII. Librum de Potestate Pontificis. IX. Breve Christiani hominis institutionem. X. Explicationem Psalmi: *Ad te levavi*

vi

*vi* &c. Præter hæc opera scripsit plures tractatus philosophicos, quos silentio præterimus, præcipui tamen ex illis sunt libellus de æstu maris, atque alius contra quartam Syllogismi figuram, quam Logici figuram Galleni appellant, nec minus etiam edidit tractatum de Venetorum Magistratibus, eorumque republica. Cuncta hæc opera in unum volumen collecta anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo primo in majori forma Parisiensibus literis excusa prodierunt, quæ quamvis Latini idiomatis puritate, ac sermonis elegantia, nec non rationum soliditate emineant, satis aperte tamen testantur, quod illorum Auctor magis recondita Philosophiæ eruditione, quam Theologiæ doctrina celebris fuerit. Præterea in suo de Sacramentis tractatu hoc argumentum non nisi leviter, carptimque perstringere videtur, aliunde tamen ejusdem de Episcopi officio libri præceptis prorsus utilissimis referti sunt, inque suis Scholiis circa difficillimos etiam textus literalem de D. Pauli epistolis sensum optime explicat: Summa vero Conciliorum, quam scripsit, duntaxat epitome est principalium Conciliorum usque ad Synodum Florentinam, quam inter Oecumenicas numerat. Ceterum hæc ipsa Contareni summa antiquitate

*Hist. Eccles. Tom. XXXVIII. G sua*

Sæc. XVI.  
A.C. 1542.

Sæcul. XVI. sua præstat ceteris omnibus, quæ hucus-  
A.C. 1542. que prodierunt sub hoc titulo : *Summa*  
*Conciliorum magis illustrium.*

§. LIV.

*De Summa Conciliorum magis il-  
 lustrum.*

*Salmon.*  
*tract. de stud.*  
*Conc. 4. p. 2.*  
*t. 2. p. 267.*

Idem Cardinalis præfatam Summam nuncupabat Paulo III. Pontifici maximo, quo fatis functo eadem primo Florentiæ anno millesimo quingentesimo quinquagesimo tertio, ac postea in pluribus aliis locis impressa prodiit. In ea Contarenus eundem Papam plurimum commendat ob indictam Synodum Tridentinam, cujus prosperum sibi successum pollicetur, imo referunt nonnulli, quod hujus Synodi convocatio eadem haud leves addiderit stimulos, ut sese huic studio daret, summaque diligentia ex Græcis, Latinisque Auctoribus quamdam Canonum epitome conscriberet. Ceterum eundem ordinem, quem sibi Isidorus in sua collectione præscripserat, etiam hic Cardinalis in sua Summa servasse videtur, atque, in quibus demum illa a Codicibus exaratis discrepet, observat, refertque non modo Concilium Nicænum sub Sylvestro Papa indictum, sed etiam illius Decreta regnante Julio I. condita. Præterea affirmat, quod Platonis doctrina, qua  
 Do-

Doctorum potissimi eo ævo imbuti erant, ad propagandam Arii hæresin non parum contulerit. Postea octo Synodos ante Calcedonense Concilium celebratas, nec non septem Concilia Carthaginensia & unum Milevitanum adducit, cunctisque D. Augustinum interfuisse contendit: Ex tredecim vero Conciliis Toletanis, quæ alii Collectores referunt, tertium non modo ob Recaredi Gothorum Regis conversionem, sed etiam propter acclamationem eidem Regi his verbis factam: *Æternum meritum vero Catholico Regi*: valde notatu dignum est; inde enim ratione vero sat simili eruitur, quod Hispaniæ Reges eo abhinc tempore honorificum hunc titulum adoptarint (\*).

Porro Contarenus, dum de sexto Concilio mentionem facit, Honorium Monothelitis favisse haud dissimulanter affirmat, hancque ob causam illius nomen Pontificum albo non fuisse insertum cen-

G 2 set.

(\*) An hæc conjectura satis firma sit, Criticorum judicio relinquimus, id certum est, quod ejusdem Synodi Patres in laudem Reccaredo Regi non modo titulum Regis Catholici, sed etiam *Regis orthodoxi, Dei amatoris, novarum plebium in Ecclesia Catholica conquistoris, Deo & hominibus amabilis* in suis acclamationibus ad-ecerint.

Sæc. XVI.  
A.C. 1542.

Sæcul. XVI. set. Præterea recensens Concilium  
A.C. 1542. Lateranense IV. observavit, quod in illo  
 matrimonium inter secundi & tertii gra-  
 dus affines contrahere fuerit permillum,  
 ut proin primus unice gradus verum (\*)  
 affinitatis vinculum producat; nec mi-  
 nus notat idem Cardinalis, quod in præ-  
 fato Concilio fuerint restricti illi gradus,  
 vi quorum in quarto gradu inter sangui-  
 ne junctos matrimonio jungi prohibi-  
 tum fuerat. Ceterum, ut paucis id ab-  
 solvam, merito affirmare possum, quod  
 hæc *Summa Conciliorum magis illustrium*,  
 quamvis valde succincta, præcipua ta-  
 men juxta ac optima sit, simulque ob-  
 servationibus, quæ ad hauriendam do-  
 gmatum, morum, ac disciplinæ Eccle-  
 siasticæ notitiam apprime conducunt,  
 maxima cum prudentia, ac judicio ad-  
 jectis abundat.

## §. LV.

*Ejusdem Scriptoris tractatus de Præ-  
 destinatione & Justificatione, nec  
 non alia illius opera.*

**M**ajora singularis adhuc prudentiæ spe-  
 cimina edidisse videtur in suo tra-  
 ctatu de Prædestinatione; haud enim  
 dubitanter declarat, quod S. Augustini  
 sen-

(\*) Supple: *ex Jure naturæ.*

sententia haud ipsi arrideat, nec eorum Sæcul. XVI.  
A.C. 1542.  
adhæreat opinioni, qui tradunt, quod homines ob originale peccatum reprobentur; unde eos reprobis adscribi censet duntaxat ob peccata actualia, quæ resistendo gratiæ committunt; Præterea statuit, quod non a gratiæ efficacia, sed a nostra voluntate dependeat, ut hæc resistentia superetur (\*). His addebat, hanc prædestinationem Deo per gratiam suam omnes nostros motus præveniente ita attribuendam, ut tamen voluntas eidem gratiæ nullam repugnantiam opponat. His præmissis Verbi divini Præcones admonet, ut raro ejusmodi materias pertractent, si vero eas tangere coguntur, de iis caute admodum loquantur, semperque ad immensam divinorum judiciorum abyssum recurrant, postmodum pessima diluit ratiocinia impiorum, qui asserunt: Sum ex numero prædestinatorum, ergo salvus ero; vel ex adverso effutiunt: Ex reprobatis sum, ergo quidcunque demum ago, semper damnabor: his igitur declarat, quod pari etiam ratione discurrere possent de omnibus hujus vitæ eventibus, quos Deus non minus,

G 3                      quam

(\*) Hanc in rem utiliter consuli potest R. P. Honorati a S. Maria Carmelitæ Discalceati *dissertatio de delectatione vittrici.*

Sæcul. XVI. A.C. 1542 quam salutem vel damnationem prævidit. Insuper demonstrat, quod prædestinatio æque ac reprobatio non sint causæ necessariæ salutis vel damnationis nostræ; licet enim Deus ab æterno prædestinatos & reprobatos præcognoverit, hæc tamen scientia nec rerum *contingentiam*, nec libertatem tollat, nullaque ratione in dubium vocare liceat, quod omnis, qui pie vivit, salvandus, is vero, qui gravi sceleri immoritur, damnandus sit. Postremo tandem ad calcem hujus tractatus abominandam damnat doctrinam illorum, qui electorum peccata Deo esse accepta, piasque reprobatorum actiones Deo horrore esse affirmant.

Insuper Contarenus librum de sacris exercitiis S. Ignatii, cui amicitia junctus erat, Latine reddidit. Ceterum methodus, qua in suo polemico contra Lutherum tractatu usus est, præcipue in eo versatur, quod Ecclesiæ doctrinam exponat, eamque sacris literis esse consonam ostendat, proinde duntaxat ex falsis suppositionibus, vel ex rationibus male fundatis hæc eadem doctrina a Novatoribus impugnetur. Denique in suo de Pontificis potestate tractatu demonstrat, quod potestas, qua summus Pontifex gregem Christi regere valet, data sit D. Petro a Christo Domino, eaque sit

fit Juris divini. Observandum tandem, Sæcul. XVI. A.C. 1542.  
 quod hic idem Cardinalis quasdam etiam epistolas scripserit, suam vero explicationem Psalmi: *Ad te levavi &c.* elucubraverit, stimulatus precibus cujusdam sororis suæ, quæ relicto sæculo in quodam asceterio sese Deo sacraverat.

§. LVI.

*Laurerii Cardinalis mors.*

**H**oc item anno quartus inter Cardinales obiit Dionysius Laurerius, seu melius, Lorerius, Beneventi ex obscuro genere ortus: cum tamen juvenis admodum Ordinem Servorum ingressus esset, adeo in literis excelluit, ut progressu temporis Perusiæ, Bononiæ, ac demum Romæ, ubi etiam cum applausu Concionatoris munere functus est, Philosophiam, Mathesin ac Theologiam traderet, tandemque supremus Ordinis sui Magister eligeretur: eo autem tempore, quo a Clemente VII. in fidei negotiis ad Henricum VIII. Orator decernebatur, non nisi Generalis Procuratoris officium obibat, ex Anglia vero Romam redux primum in comitiis generalibus supremus Ordinis sui Præses renuntiatus erat, ac paulo post a Paulo III. Papa in Scotiam missus est, eidemque concessa fuit amplissima facultas

Ciacon. t. 3. p. 672. Ughel. Auberghy l. c. Sadol l. 3. ep. 13. 14. & 15.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1542.

visitandi ac corrigendi Monasteria, pro-  
ut ei necessarium videretur. Ferunt,  
quod Lororius Paulo III., cum is ad-  
huc Cardinalis esset, Pontificatum præ-  
dixit, postquam vero e Scotia in Ita-  
liam revertebatur, ab eodem jamjam ad  
Apostolicæ Sedis regimen evecto inter  
Cardinales anno Christi millesimo quin-  
gentesimo trigesimo nono cooptatus est,  
adjecto S. Marcelli titulo. Hunc Car-  
dinalem insimulant nonnulli, quod am-  
plissimis pollicitationibus sibi a Carolo  
V. Cæsare factis ita fascinatus fuerit, ut  
in publico Patrum Senatu Gallorum Re-  
gem titulo Regis Christianissimi privan-  
dum proponere ausus fuerit, quamvis  
omnes ferme Cardinales, imo illi etiam,  
qui Imperatori favebant, immoderatam  
hanc propositionem rejecerint, atque in-  
ter eos Dominicus de Cuppis sacri Col-  
legii Decanus Lororium hac de re intrepide  
redarguerit, nec non alius quidam  
Cardinalis eum indignanter ac contemp-  
tım respiciens dixerit: „Sinite latra-  
„re hunc canem; apparet enim, quod  
„non nisi frustum panis quærat. „ Eo  
tempore Lororius non nisi Urbini Epi-  
scopus ac Campaniæ Romanæ Legatus  
erat (\*). Obiit Romæ die decima se-  
pti-

(\*) Hæc relatio potius fabulis annumerari  
meretur; cur enim a nullo Scriptore nomen il-  
lius

ptima Septembris anno Servatoris nostri millesimo quingentesimo quadragésimo secundo, cum vixisset annos quadraginta quinque, sepultusque est in Ecclesia S. Marcelli, atque a Patre Dominico de Verona Servita oratione funebri commendatus.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1542.

## §. LVII.

*Joannes Faber mortuus.*

**O**biit pariter eodem hoc anno Joannes le Fevre, seu Faber, natione Helvetius, qui Ferdinando adhuc dum Archiduci ab epistolis, nec non a secretioribus consiliis erat, postea vero eodem Archiduce in Romanorum Regem electo Constantiensis Canonicus, ac demum

Dupin. Bibl.  
des Aut. Eccl.  
cles. tom. 14.  
in 4. p. 164.

G 5

mum

lius Cardinalis, qui hæc protulisse refertur, proditur; qua ratione Lorarius, si tum non nisi Urbinae Episcopus, ac Campaniæ Romanæ Legatus fuit, Romæ in publico Cardinalium Senatu hæc proponere potuit: hanc in rem apud Jovium, & Ciaconium duntaxat hæc leguntur: *In hoc Scriptorum illius ævi nonnulli Lorarium male habent, quod a Carolo V. obfirmate contra Franciscum I. Galliarum Regem steterit, eundemque tum maxime damnant, quando IN PUBLICO TOTIUS ORBIS CHRISTIANI CONGRESSU contra Galliarum Regem vehementissime, ut refert in sua Historia Jovius, peroravit &c.*

Sæcul. XVI. A. C. 1542. mum Viennæ in Austria Episcopus est renuntiatus. Hic idem præ ceteris non minus libris suis, quam crebris colloquiis cum Protestantibus ingens sibi nomen conciliabat. Inter cetera, quæ contra hæreticos edidit, opera præprimis eminet liber, cui titulus: *Malleus hæreticorum*: in sex libros divisus, qui summo Pontifici Adriano VI. nuncupatus, anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo quarto Romanis literis excusus prodiit. Alter erat liber quarto post anno Lipsiæ editus, qui inscribitur: *Defensio orthodoxa fidei Catholicae contra Balthasarem Pacimontanum Anabaptistarum Coriphæum*, quem etiam Faber ad revocandos errores suos adegit. Scripsit præterea plura alia opuscula polemica, atque inter cetera tractatum de fide & operibus, nec non alium contra quædam Lutheri dogmata præter tractatus de potestate Pontificum, de Cœlibatu Sacerdotum, de Baptismo parvulorum, & de Pœnitentia. Insuper edidit sex articulorum, quos Ulricus Zwinglius proposuit, confutationem, quam Helvetiis anno Christi millesimo quingentesimo vigesimo sexto in Badensi Conventu congregatis porrexit, simulque eundem Zwinglium in quadam epistola Teuthonice scripta redarguit, quod Badensi huic consultationi interesse ausus

fus non fuerit. Denique idem Auctor *Sæcul. XVI.*  
 posteris reliquit quasdam homilias Co- A.C. 1542.  
 loniæ impressas de Eucharistia, aliisque  
 materiis.

## §. LVIII.

*Bernardinus Ochinus Capuccinorum  
 Minister Generalis.*

Hoc etiam anno Bernardinus Ochinus *Flor. Ræm.*  
 seu Okini a Catholica fide defecit. *de ortu hæc.*  
 Is patria Senensis inter Fratres Minores *l. 3. c. 5. n. 4.*  
 de Observantia religiosæ militiæ nomen *Boverius in*  
 dederat, anno autem salutis nostræ mil- *Annal. Cap.*  
 lesimo quingentesimo trigesimo quarto  
 ad restauratam Capuccinorum discipli-  
 nam transiit, suaque cura ac studio ad  
 nascentis hujus instituti incrementum  
 haud parum contulit, quamvis primus  
 illius Auctor nequaquam fuerit, prout  
 tamen plures perperam referunt: dum  
 vero inter Capuccinos aliquamdiu egerat,  
 tandem supremus hujus familiæ Mi-  
 nister Generalis eligebatur, atque hac  
 etiam dignitate auctus mira vitæ auste-  
 ritate, ac virtutum exemplo aliis præ-  
 lucere videbatur, passimque tanquam  
 Vir singularibus animi dotibus liberali-  
 ter præditus habebatur; cum enim se-  
 nio ac canitie gravis, vultu pallidus, &  
 deformi macie horridus, nec non pro-  
 missa & defluente usque ad pectus bar-  
 ba conspicuus esset, simulque singulari

ar-

Sæcul. XVI. A.C. 1542. artificio sese viribus exhaustum, atque infirma valetudine pressum simularet, ubique sanctitatis suæ famam atque opinionem tam late diffundebat, ut non modo rudior plebs, sed etiam primæ nobilitatis Viri, Principes ac Reges illum tanquam Monachum sanctitate eximium venerarentur, atque adventanti obviam procederent, & cum omnibus honorum signis, nec non admiranda benevolentia testificatione exciperent, atque abeuntem pari obsequio comitarentur: vicissim vero Ochinus, ut hanc de se conceptam opinionem confirmaret, omnes artes impendit, semperque peregre profectus, pedes incedebat, & quamvis senecta jam ætate, ac imbecilli admodum corporis habitudine esset, nunquam tamen equo vehi conspiciebatur, quin imo nonnunquam ad Principes divertere coactus, nec Palatiorum magnificentia, nec vestium luxu, nec ulla hujus sæculi pompa a paupertatis studio, aut a suscepta vitæ austeritate averti poterat. Equidem sumptuosis interesse cogebatur conviviis, in quibus tamen ægre modicum quid vini degustans, ex cibis non nisi unicum, idque ceteris minus exquisitum, minusque conditum ferculum seligebat, & quamvis importunis etiam quandoque precibus urgeretur, ut ad vires ab itineris molestiis non nihil reficien-

ficiendas mollioribus, ac superbe ornatis culcitris uteretur, ipse non nisi pallio suo latius extenso humi cubabat: Unde vix credi potest, quantam sibi existimationem per totam Italiam conciliaverit.

Præterea haud leviter literis imbutus erat, quamvis ceteroquin magis eloquentiæ ac sermonis nitore, quam solidæ doctrinæ, ac rationum firmitati insisteret; vix quidem linguam Latinam noverat, patria tamen lingua usus ea, quæ mente conceperat, tanta verborum ubertate, tantaque in dicendo jucunditate, sermonisque puritate proferebat, ut omnes illius auditores mira ejus suavitate atque eloquentia illecti a sensibus abalienari viderentur, unde Ochinus nunquam ad aliquam urbem prædicatum ibat, quin illico populus turmatim conflueret, imo integræ etiam civitates, ut perorantem auscultarent, tanto numero convenirent, ut nullius Ecclesiæ amplitudo concurrentium multitudinem capere posset. Denique quotiescunque quamdam urbem pertransire compellabatur, quantocius innumeri propemodum homines eidem obviam effundebantur, ut ab ejus ore doctrinæ Christianæ præcepta perciperent.

Sæcul. XVI.

A C. 1542.

Sæc. XVI.  
A.C. 1542.

§. LIX.

*Occasio tam a fide, quam a religioso  
Instituto deficiendi ab Ochino  
acceptata.*

*Tomaso Costo  
supplem. ad  
Mamb. l. 4.  
apud Spond.  
ann. 1547.  
n. 22.  
Bzov. hoc  
anno n. 34.*

Attamen tam præclaræ ingenii dotes nec non tanta, quam exhibebat, vitæ austeritas non obstabant, quo minus non solum religiosam familiam, sed etiam Catholicam fidem desereret, nosque errores sectaretur, quamvis forte nil minus, quam ejusmodi defectio- nem in mente habuisset, nisi fatali qua- dam occasione ad tantum nefas fuisset pellectus, ut mox enarrabimus. Erat Ochino frequens oppido familiaritas cum Hispano quodam Jurisconsulto, no- mine Joanne Valdesio, qui in Germa- nia Lutheri doctrinam liberalius hauserat: cum igitur Neapoli cum hoc Viro incautius versaretur, sensim de fidei or- thodoxæ veritatibus dubitare, atque e- jusmodi propositiones, quæ perversam novitatem sapiebant, ad populum dice- re cœperat. Verum extremæ ruinæ caussa exstitit propria Ochini ambitio, qua se ad Cardinalium dignitatem non- dum fuisse evectum vehementer indig- nabatur: cum autem ob ejus sermones male audiret, Romæ comparere jube- tur, ut doctrinæ suæ rationem redde- ret:

ret: cum tamen illuc iturus, iter suum Sæcul. XVI.  
A.C. 1542.  
prosequeretur, Florentiæ Petrum Mar-  
tyrem amicum suum obviam habuit, ei-  
que causam suam ac periculum mani-  
festabat, cui se Pontificis arbitrio com-  
mittens exponeret. Petrus Martyr  
mox Ochino applausit, totisque viribus  
ei hoc iter dissuasit, ac re inter se matu-  
rius discussa ambo decreverunt, quod  
sefe ad locum magis tutum recipere vel-  
lent.

§. LX.

*Ochinus profanam vestem indutus,  
ac Genevam delatus.*

**P**rior abiit Ochinus, & Ferrariam de- Spond. l. c.  
Raynald. hoc  
anno n. 36.  
latus ibidem Laicorum more vestes  
induit, ac Genevam contendit, ubi  
cum quadam fœmina, patria Lucen-  
si, cujus pudicitiam hanc urbem per-  
transiens defloraverat, nuptias contra-  
xit, ut hoc facinore legitimum abjectæ  
Religionis Catholicæ testimonium ede-  
ret. Ceterum Petrus Martyr biduo  
post inde discessit, atque ad Helvetios  
transiit, eos ad suam sectam pellectu-  
rus.

§. LXI.

*Calvinus Genevam reversus.*

**C**um interea Genevenses factionem Theod. Beza  
in vita Calv.  
hoc anno.  
illorum, qui Calvinum antea ex hac  
urbe

Sæcul XVI.  
A C. 1542. urbe expulerant, numero ac potentia superarent, hic quoque hæresiarcha jam anno priori die decima tertia Septembris rursus Genevam rediit, tantis honorum signis exceptus, ut ad Senatus recens electi, ac Syndicorum preces reversus non minus ab ipso Magistratu, quam a populo crebris acclamationibus reciperetur, ac festivis lætitiæ testificationibus exciperetur, quin imo plenam etiam a Magistratu obtineret facultatem, vi cuius eorum Ecclesiam, prout ipsi bene visum fuerit, moderari posset. Calvinus itaque concessa sibi potestate usus, externam disciplinam ad eandem ferme normam reduxit, quæ hodiedum in illis Reformationis prætensæ Ecclesiis observatur.

## §. LXII.

*Statuta circa doctrinam ac disciplinam Genevæ a Calvino præscripta.*

*Beza l. c.*  
*Hier. Bolsec.*  
*in vita Calv.*  
*Hist. verit. du*  
*Calv. a Amst.*  
*1683. p. 119.*  
*h. 3.* Præprimis Calvinus Senatum, quem vocant *Consistorium*, nec non Ministrorum Conventus & Synodos instituit, atque nominavit quosdam Seniores, Diaconos, aliosque, qui *Superintendentes* appellantur. Præterea præscripsit orandi, concionandi, Cœnamque celebrandi modum, nec ipsius quoque bapti-

ptizandi, ac mortuos sepeliendi normæ Sæcul. XVI.  
A.C. 1542.  
oblitus, nec minus Ecclesiasticum quo-  
que erexit tribunal, cui jurisdictionem  
ac plenam censuras, pœnas Canonicas,  
imo & ipsam quoque excommunicatio-  
nem ferendi potestatem attribuere au-  
sus fuit. Scripsit insuper Latinum æque  
ac Gallicum Catechismum a priori lon-  
ge diversum, magisque diffusum, in  
quo variæ quæstiones ac responsa pro-  
ponuntur, eundemque librum Tremel-  
lius secta Judæus Hebraice, Henricus  
vero Stephanus Græce reddidit. Hæ  
quidem novitates displicebant quam  
plurimis, qui etiam sese pro viribus op-  
ponebant: ast Calvinus his omnibus  
tandem prævalebat, novusque Canon in  
quodam totius populi conventu anno  
Christi millesimo quingentesimo qua-  
dragesimo primo die vigesima Novem-  
bris celebrato vim legis obtinebat, si-  
mulque tam Clerici, quam Laici fidem  
suam obstringebant, quod perpetuo no-  
væ huic legi insistere vellent. Interim  
hic Hæresiarcha usus prætensis Sena-  
tus sui juribus, nec non immodica seve-  
ritate, qua potestatem suam pro summo  
imperio atque arbitrio exercebat, pluri-  
morum invidiam sibi accersivit, ac non-  
nunquam variis tumultibus urbem exa-  
gitavit: verum ille ad omnia imperter-  
ritus, inanisque gloriæ cupiditate, qua  
*Hist. Eccles. Tom. XXXVIII.* H in-

**Sæcul. XVI.** intumescebat, accensus, in suis opinio-  
**A.C. 1542.** nibus omnino obdurescebat, quin imo  
 cunctis, ut suis dictis cœco prorsus obse-  
 quio assentirentur, imperiose mandabat,  
 illis vero, qui contra eum vel hiscere au-  
 debant, ingenti verborum vehementia,  
 infanoque furore respondebat.

Præterea anno sequenti millesimo  
 quingentesimo quadragesimo secundo  
 statuta, quorum ipse Auctor exstitit, in  
 usum deduci iussit, atque ad suam sectam  
 multos exteræ nationis viros suscepit,  
 præcipue vero Gallos, qui in sua patria  
 ob hæresin vexati Genevam confuge-  
 rant, spe freti, quod ibidem omni poti-  
 rentur libertate, quam novi errores om-  
 nibus & singulis illorum Sectatoribus  
 indulgebant. Hi igitur una omnes Cal-  
 vinum accedebant; nam iste eorum con-  
 filiis cum majori utilitate ac minori pe-  
 riculo solus deservire poterat, unde Cal-  
 vinus pro parte sua nil intentatum, in-  
 ausumque relinquebat, ut illos arctiori  
 vinculo sibi adstringeret, quapropter  
 sollicitè unicuique de sua sustentatione  
 providebat, cauteque præcavebat, ne  
 cuiquam molestia inferretur. Insuper  
 ad ea etiam Regna, in quibus jamjam se-  
 ctæ suæ fautores præmiserat, suam solli-  
 citudinem extendit, unice intentus, ut  
 suorum factio potentia ac numero cre-  
 sceret.

## §. LXIII.

Sæcul. XVI.  
A.C 1542.*Galliarum Regis sollicitudo ad hæresis progressus in suo Regno inhibendos.*

**I**nterim Franciscus I. Galliarum Rex hæresum progressibus obicem ponit ratur legum contra Novatores nuper latorum severitatem innovavit, hancque in rem anno Christi millesimo quingentesimo quadragesimo edictum promulgari iussit, quo sancitum, ut Magistratus summa solertia in hæreticos inquirerent; Verum hi noctu suos conventus tanta taciturnitate habebant, ut ægre deprehendi potuerint, quin imo quidam Verbi divini Præcones, cum & ipsi hisce erroribus infecti essent, suum venenum anno salutis millesimo quingentesimo quadragesimo primo in publicis sermonibus dominici adventus tempore habitis spargere audebant. Hac temeritate Clerici vehementer commoti suo Religionis zelo Regis studium solerter accendebant, ut junctis viribus funesta, quæ ex tali licentia oriri possent, mala præpediri valerent: igitur Parisiensis Facultas Theologica anno post Christum natum millesimo quingentesimo quadragesimo secundo die decima octava Januarii apud Mathurinos conventum ha-

H 2

buit,

Sæcul. XVI.

A.C. 1542.

buit, ac Missa de Spiritu sancto celebrata quosdam articulos veluti orthodoxæ fidei professionem exposuit, atque in illis omnes materias eo tempore controversas pertractavit, eaque omnia præscripsit, quæ credenda, atque deinceps a Concionatoribus prædicanda, nec non populo exponenda essent. Insuper utriusque Juris Doctores ac Baccalaurei hosce articulos jurejurando firmare jubebantur, Scholares vero pariter, priusquam Theologiæ curriculum inciperent, fidem suam juramenti religione obstringere compellebantur. Hoc edictum plus quam sexaginta Doctorum chirographo muniebatur, cujus tenorem impresentiarum exhibemus.

## §. LXIV.

*Parisiæ Facultatis Theologiæ Decretum de articulis fidei divina credendis.*

*Argent. Coll.  
jud. app. t. 1.  
p. 413. Et t.  
2. p. 133.*

*Attendentes D. Pauli fidei nostræ Præconis exemplo, quam gravia pericula his temporibus ex impudenti & detestanda quorundam Concionatorum impietate soleant Christianis contingere, qui non erubescunt temeraria quadam audacia erronea, scandalosa, seditiosa atque etiam schismatica, hæretica & blasphema in suis Concionibus passim disseminare, in hoc magis hominibus placere cupientes,*  
quam

quam Deo: unde multi seducuntur, pesti- Sæcul. XVI.  
 lentisque doctrinæ veneno inficiuntur: tan- A C 1542.  
 tis sane malis commodum existimavimus sa-  
 lutarem Scripturarum sanctarum, & Eccle-  
 siæ Catholicæ doctrinam secuti si usquam a-  
 lias, nunc vel maxime nostra pro virili, ac  
 ea, quæ in nobis est, functione obviandum  
 esse. Quod ut fieret commodius, brevi quo-  
 dam compendio sub quibusdam titulis aliquot  
 fidei decreta omnibus Christianis certo tenen-  
 da subjecimus: ex quibus quidnam inprimis  
 populo hac tempestate prædicandum, quidve  
 cuique sectandum sit, facile poterit apparere,  
 ac ex oblata, & sese ultro offerente, vel e-  
 tiam utiliter quæsitâ occasione omnibus per-  
 spicuum esse.

Postmodum Facultas articulos fide-  
 libus proponendos recenset.

§. LXV.

*Articuli a Facultate propositi, ac  
 iurejurando firmati.*

Præfati articuli numero erant viginti  
 novem, & quidem I. Certa & fir-  
 ma fide credendum est, Baptismum parvulis  
 ad salutem necessarium esse, ac per ipsum da-  
 ri gratiam Spiritus sancti.

II. Eadem fidei constantia est tenendum,  
 homini inesse liberum Arbitrium, quo potest  
 bene vel male agere, & per quod (si etiam  
 sit in peccato mortali) Deo cooperante ad  
 gratiam resurgere valet.

H 3

III.

Sæcul. XVI. III. *Nec minus certum est, adultis post  
A.C. 1542. peccatum mortale admissum necessariam esse  
pœnitentiam, quæ in Contritione, Confes-  
sione sacramentali vocaliter Sacerdoti faci-  
enda, & Satisfactione consistit.*

IV. *Adhæc peccatorem non sola fide,  
sed & bonis operibus justificari, quæ adeo  
necessaria sunt, ut sine illis nemo adultus vi-  
tam consequatur æternam.*

V. *Quilibet Christianus tenetur firmiter  
credere, in sacrosancto Eucharistiæ Sacra-  
mento esse verum Christi Corpus, quod ex  
Virgine natum est, & in Cruce passum.*

VI. *Eadem fidei firmitate credendum,  
& in ejus sacramentali Consecratione fieri  
Transsubstantiationem panis materialis in  
verum Corpus Christi, & vini in Sangui-  
nem.*

VII. *Sacrificium Missæ est ex Christi  
institutione valens pro vivis & defunctis.*

VIII. *Non est Laicis necessaria ad salu-  
tem Communio sub utraque specie, recteque  
ab Ecclesia sancitum est, ut illis sub una tan-  
tum panis specie communicetur.*

IX. *Porro solis Sacerdotibus secundum  
Ecclesiæ ritum ordinatis data est a Christo  
potestas consecrandi verum Christi Corpus,  
& in foro Pœnitentiæ absolvendi a pecca-  
tis.*

X. *Quos certum est, etiamsi mali & in  
peccato mortali fuerint, consecrare verum  
Christi corpus, si illud consecrare intendant.*

XI.

XI. *Ceterum Confirmatio, Matrimo- Sæcul. XVI.*  
*nium, & Unctio extrema sunt tria Sacra- A. C. 1542.*  
*menta a Christo instituta, per quæ datur*  
*gratia Spiritus sancti.*

XII. *Nec dubitandum est, Sanctos &*  
*in hac mortali vita, & in Paradiso agentes*  
*miracula operari.*

XIII. *Sanctum est & Deo maxime gra-*  
*tum orare Sanctos, qui in cælis sunt, ut*  
*pro nobis sint advocati & intercessores apud*  
*Deum.*

XIV. *Hi itaque Sancti cum Christo re-*  
*gnantes non solum sunt imitandi, sed & ve-*  
*nerandi, & orandi: ob idque religiose fa-*  
*ciunt, qui loca eis dicata ex devotione pere-*  
*grinando visitant.*

XV. *Si quis in Templo aut extra Tem-*  
*plum prius sua oratione ad Beatam Virgi-*  
*nam, aut Sanctorum aliquem recurrat quam*  
*ad Deum, non peccat, imo etiam sancte*  
*agit.*

XVI. *Nec ullo modo addubitandum est,*  
*quin genu flectere coram imagine Crucifixi,*  
*Beatæ Mariæ & Sanctorum ad rogandum*  
*Christum & Sanctos, sit bonum opus.*

XVII. *Adhæc firmiter credendum est, &*  
*nullatenus dubitandum, Purgatorium esse, in*  
*quo animæ detentæ oratione, jejunio, elee-*  
*mosyna, aliisque bonis operibus juvantur, ut*  
*citius liberentur a pœnis.*

XVIII. *Tenetur & quilibet Christianus*  
*firmiter credere, unam esse universalem Ec-*

Sæcul. XVI. *clesiam in terris visibilem, quæ in fide & moribus errare non potest, cui omnes fideles in his, quæ sunt fidei & morum, obedire adstringuntur.*

A.C. 1542.

XIX. *Quod si quid in Scripturis sacris controversiæ aut dubii reperiatur, ad præfatam Ecclesiam definire spectat, & determinare.*

XX. *Est & certum, multa esse credenda, quæ non sunt expresse & speciatiim tradita in Scripturis sacris, quæ tamen per Traditionem Ecclesiæ sunt necessario recipienda.*

XXI. *Eodem veritatis firmamento recipiendum, potestatem excommunicandi esse de jure divino immediate a Christo Ecclesiæ concessam, & ob id magnopere timendæ sunt censuræ Ecclesiasticæ.*

XXII. *Certum est, Concilium generale legitime congregatum, universalem representans Ecclesiam, in fidei & morum determinationibus errare non posse.*

XXIII. *Nec minus certum, unum esse jure divino summum in Ecclesia Christi militante Pontificem, cui omnes Christiani parere tenentur.*

XXIV. *Qui quidem potestatem habet & conferendi Indulgentias.*

XXV. *Constitutiones Ecclesiasticæ, ut de jejunio, de delectu ciborum, de abstinentia a carnibus, aliisque multis vere obligant*

gant in foro conscientiae, etiam omni ex-  
cluso scandalo.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1542.

XXVI. In eodem conscientiae foro vota obligant, etiam si sint perpetuae continentiae, vel monastica.

XXVII. Ceterum omnibus perspicuum sit, nonnullas sanctas & laudabiles consuetudines in Ecclesia observandas esse a Concionatoribus in suis concionibus, quarum una est, qua imploratur gratia Spiritus sancti per intercessionem Beatissimæ Virginis Mariæ.

XXVIII. Altera, qua antiquorum Patrum more, non sine honoris præfatione nominandi, ubi locus occurrit, veniunt imprimis Dominus noster Iesus Christus, non autem, ut nonnulli hujus temporis Neo-Christiani vulgo dicere solent Christus, quod Christiane magis & pie dicere debent Iesus Christus. Absit, quod dicant passim Paulus, Petrus, Jacobus, Hieronymus, Augustinus &c. quibus honoris præfatio præponenda est, verbi gratia, sanctus Petrus &c. sanctus Paulus &c. &c.

XXIX. Tertia, qua defunctorum animæ populi precibus salubriter commendantur.

§. LXVI.

Quidam libri ab eadem Facultate damnati.

Eodem hoc anno die decima nona Decembris itidem Facultas Theologi-

Argentore l.v.  
t.1. app p.12.

H 5

ca

Sæcul. XVI ca apud S. Mathurinum congregata  
A. C. 1542. quosdam libros partim Latinos, partim  
 Gallicos, cum ad eam essent delati,  
 damnavit. Hos inter præprimis erant  
 duo, quorum prior ita inscribatur:  
*Summa totius Scripturæ sacræ tam veteris,*  
*quam novi Testamenti:* alteri hic præfige-  
 batur titulus: *Decem Dei Verba, seu Præ-*  
*cepta,* in quo tamen libro nulla facta e-  
 rat mentio de Sacramentis, & de præ-  
 ceptis Ecclesiæ, unde ea, quæ ibi di-  
 cuntur, nullatenus consona erant ver-  
 bis hisce in fine appositis: *Si vis ad vi-*  
*tam ingredi, serva mandata.* Quapropter  
 censuit Facultas, quod præfati libri ho-  
 minum simplicium animos inducant ad  
 varios errores, maxime vero ad magnum  
 Ecclesiasticæ potestatis, istiusque præce-  
 ptorum contemptum, atque ideo illi sint  
 supprimendi. Præter hunc librum  
 Gallice redditum *de decem Dei Verbis,* cu-  
 jus supra meminimus, etiam Facultas  
 alium libellum ex Latino in Gallicum  
 idioma versum damnavit, cui titulus:  
*Hic succincte continentur ea omnia, quæ*  
*sacræ Literæ nos docent.* Omnes igitur  
 hosce libros divulgari prohibuit Facul-  
 tas.

## §. LXVII.

*Epistola Facultatis ad Abbatissam*  
*Fontis Ebraldi.*

Die

Die secunda mensis Maji eadem Facultas respondit ad propositiones, quas Abbatissa Fontis Ebraldi ante aliquod tempus Facultati examinandas tradiderat. Erant hæc propositiones numero quinque his verbis conceptæ:

I. *Prælati ac Superior conscientia suæ satisfaciunt, si gregis sui regimen Pastori committit, qui nil amplius calet, quam rem divinam peragere, & absolutionem impertiri.*

II. *Nullum datur peccatum mortale absque plena deliberatione.* III. *Nullum datur peccatum lethale sine plena libertate.* IV. *Beatissima Virgo pœnæ maledictionis erat obnoxia.* V. *Nostra satisfactio est ex parte a Deo.*

Ad hasce propositiones Facultas hunc in modum Abbatissæ respondit:

„ Ut vestris satisfaceremus desideriis,  
 „ præfatas propositiones toto illo tempore,  
 „ quantum argumenti gravitas exigebat, inspeximus atque examinavimus,  
 „ nunc vero nobis videtur prima propositio falsa, scandalosa, nec non hierarchico Ecclesiæ ordini injuriosa:  
 „ Altera vero æque ac tertia vera est; nullum enim peccatum est lethale, nisi sit voluntarium, secunda tamen de plena intelligi debet deliberatione, quæ vel tum habetur, vel saltem haberi oporteret, & re ipsa non habetur.  
 „ Quarta pariter veritati consonat, quinta autem eo sensu intelligenda venit,  
 „ ut

Sæcul. XVI.  
A.C. 1542.

Argent. t. 2.  
p. 133.

sh. 10. 2002  
E. 1. 1. 2

Sæcul. XVI., ut, quamvis Deus sit totum nostrum  
 A.C. 1542. „ bonum, & principalis nostra satisfac-  
 „ ctio, nec tamen velit solus piarum  
 „ stras actiones efficere, sed exigat a no-  
 „ bis, ut & nos cum illo operemur, un-  
 „ de hæc propositio non nisi in hoc sen-  
 „ su veritati congruit.,

## §. LXVIII.

*Sanctus Ignatius Ordinis sui Con-  
stitutiones exhibens.*

*Bouh. vie de  
S. Ign. l. 3.*

**H**oc item anno S. Ignatius Jesuitarum  
 Constitutiones, quas ipse condide-  
 rat, publici juris fecit. Elucet ex illis,  
 quod ipse nil antiquius habuerit, nisi ut  
 ejus Socii vitæ suæ dies partim in con-  
 templativæ, partim activæ vitæ actioni-  
 bus transigerent; hinc enim illis, ut  
 primæ huic vivendi rationi satisfacere-  
 rent, præter quotidianam intimorum  
 animi recessuum perscrutationem, sacro-  
 rum librorum lectionem, ac frequentem  
 Sacramentorum usum præscripsit etiam  
 internam preceationem, quam *orationem  
 mentalem* vocant, nec non sacras com-  
 mentationes, atque divinæ præsentis  
 studium: ad activæ vero, ut appellant,  
 vitæ exercitationes suis ea omnia injun-  
 xit, quæ ad proximi salutem ac sancti-  
 tatem conferre possent, inter quæ præ-  
 cipue illis præcepit, ut de rebus divi-  
 nis ad populum dicerent, pueritiam fi-  
 dei

dei mysteriis imbuerent, hæreticos ad Sæcul. XVI. A. C. 1542.  
 finem Ecclesiæ revocare conarentur, ac  
 in remotas Infidelium regiones fidei Ca-  
 tholicæ lumen inferrent, captivos atque  
 infirmos inviserent, aliorum conscien-  
 tias moderarentur, ac denique juven-  
 tutem literas edocerent: Ut vero faci-  
 lior esset harum exercitationum usus,  
 haud incongruum fore existimabat Igna-  
 tius, si ejus Socii non aliis, quam Cle-  
 ricorum sæcularium vestibus uterentur  
 juxta normam, qua ea ætate hi in Ita-  
 lia atque Hispania vestiebantur. Insu-  
 per sanxit, ut ex ejus Collegiis singula-  
 res corporis macerationes, preces  
 ac nimium prolixæ meditationes exula-  
 re juberentur; censuit enim, quod lite-  
 rarum studia, quæ aliunde totum ho-  
 minem sibi vendicant, Domino Deo æ-  
 que ac ejusmodi exercitationes place-  
 rent, præcipue quando studiorum labor  
 ad Dei obsequium dirigitur. Præterea  
 quamvis Ignatii cor ad divinæ laudis  
 decantationem in pios affectus diffue-  
 ret, nihilominus suos ad pensum Cano-  
 nicum in Choro stans horis persolven-  
 dum minime adstringendos arbitraba-  
 tur, unde illos duntaxat, qui sacris  
 Ordinibus initiati essent, ad preces  
 ex Ecclesiæ ritu præscriptas non nisi  
 privatim recitandas obstrinxit: Apo-  
 stolicam autem imitaturus paupertate-  
 tem,

Sæcul. XVI  
A.C. 1542. tem præcepit, ne ulla domus pro religioſæ familiæ ſuſtentatione jus ad quicquam vel communiter vel privatim poſſidendum acquirere poſſit, ſed Religioſi ſolo earum rerum, quæ ipſis ex charitate donantur, uſu contenti vivant, Collegiis tamen redditus ad ſtudiorum neceſſitates applicandos permittit, prohibuitque, ne in iisdem Collegiis ſtabiles pro Miſſis proventus, aut beneficia curata, vel quæcunque alia acceptent munia, quæ eos a ſuis ſtudiis avocare poſſent. Inſuper interdixit omnem pecunias, vel quodcunque aliud pro Miſſis, Confeſſionibus & ſermonibus percipiendi libertatem, nec etiam quicquam accipi conceſſit pro Sacramentorum adminiſtratione, viſitatione infirmorum, vel pro juventutis inſtructione, aut alio quovis officio, quod ex Inſtituti præſcripto Socii exercere tenentur.

## §. LXIX.

*Varii in Societate gradus.*

*Bonhours*  
*l. 6. p. 342.*

In iisdem Conſtitutionibus Præpoſitus Generalis jure perpetuo munus ſuum tenere, Romæque ſedem figere jubetur, atque illi quatuor Generales adjunguntur Aſſiſtentes ex natione Italica, Gallica, Hispanica & Germanica ſelecti; hi tamen nullatenus *deciſivo*, ſed mere *conſultatorio* gaudent ſuffragio. Præterea

terea præcepit Ignatius, ut ejus Socie-  
 tas tres diversos status seu gradus inter  
 suos subditos teneat, quorum primi  
 Professi, alii *Coadjutores formati*, ac de-  
 nique tertii præter Novitios vocantur  
 Scholares approbati. Porro duplex  
 datur Professorum genus, quorum ali-  
 qui quatuor vota, alii non nisi tria vo-  
 ta nuncupant, nec minus duas Coad-  
 jutorum species instituit Ignatius; vo-  
 cantur enim alii spirituales, alii tempo-  
 rales. Insuper injunxit, ut Professorum  
 vota sint solemnia, Coadjutorum  
 vero publica quidem, sed simplicia, at-  
 que isti eadem sua vota præsentibus dun-  
 taxat domesticis, nulloque adstante, qui  
 ad ea recipienda a Generali deputatus  
 esset, nuncupent: ex adverso autem  
 Professorum & Coadjutorum formalium  
 vota vel in ipsius Generalis, vel in al-  
 terius ab eo deputati manibus emittant.  
 Profellis vero ordinariis S. Ignatius  
 præscripsit, ut Castitatem, Paupertatem  
 & Obedientiam solemniter sponcione  
 profiterentur, hæcque vota servare pro-  
 mitterent, ac vi obedientiæ ita promif-  
 sæ speciali cura iis invigilare tenerentur,  
 quæ ad juventutem literis imbuendam  
 attinent, illi vero, qui quatuor voto-  
 rum professi nuncupantur, speciali obe-  
 dientiæ voto summo Pontifici spondere  
 jubebantur, quod ad omnes infidelium  
 at-

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1542.

Sæcul. XVI. atque idololatrarum regiones ad quas  
A.C. 1542. cunque demum pro annuntiando Christi  
 Evangelio mitterentur, ire velint.

## §. LXX.

*Scholares in Societate approbati.*

**I**nsuper S. Ignatii Constitutiones de alio  
 adhuc gradu eorum, qui Scholares  
 approbati vocantur, mentionem faciunt.  
 Hoc nomine appellantur illi, qui adhuc  
 studiis vacantes ad professionem accedunt,  
 quibus Societas sese non nisi adjectis  
 quibusdam conditionibus obstringit,  
 quamvis ipsi sine ulla exceptione sese  
 Societati devoveant, promittentes, quod  
 in ea vivere, nec non in integra trium  
 votorum fide mori velint. Præterea iidem  
 speciali voto sese obstringunt, quod illum  
 gradum seu statum acceptaturi sint, ad  
 quemcunque eos admittere progressu  
 temporis eorum Superioribus bene visum  
 fuerit. Nihilominus Societati relicta est  
 potestas, vi cuius justis ex causis illis  
 votorum obligationem relaxare, eosque  
 dimittere valet. Ceterum ubique locorum,  
 excepto Franciæ Regno, suorum bonorum  
 dominium ac proprietatem conservant,  
 quamvis absque suorum Superiorum  
 consensu nec illis frui, nec de iis  
 disporre possint.

## §. LXXI.

## §. LXXI.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1542.*De Coadjutoribus & Professis.*

Pariter inter illos ii vocantur Coadjutores spirituales, qui publice Castitatis, Paupertatis & Obedientiæ vota nuncupant, ita tamen, ut quartum non emittant votum, vi cuius ceteri ad Pontificis mandatum atque arbitrium ad exterarum regiones prædicatum ire promittunt. Hi ergo non modo idonei habentur, ut in Collegiis Professores, sed etiam eorundem Collegiorum Rectores agere valeant, possintque ad hoc eligi, ut generali Congregationi assistant, licet in Generalis electione jure suffragii penitus careant, illosque semper quatuor votorum Professi præcedant. Porro simplices Fratres vocantur Coadjutores temporales, ita dicti, eoquod in domesticis minorisque momenti negotiis sua Societati servitia præstent. Denique Professi dicuntur illi, qui unacum tribus votis consuetis specialiter ad Apostolicas expeditiones eundi obedientiam summo Pontifici spondent, unde hi cuncta, in quibus præcipuum Societatis caput consistit, profitentur, atque exacte Evangelicam paupertatem observare tenentur.

*Hist. Eccles. Tom. XXXVIII. I Ce-*

**Sæcul. XVI.** Ceterum solus Generalis Provincia-  
**A.C. 1542.** les, nec non in Professorum ac proba-  
tionum seu Novitiatum domibus Su-  
periores ac Collegiorum Rectores no-  
minat; ut vero omnium, qui ad munia  
idonei sunt, subditorum notitiam habe-  
re queat, totius Europæ Provinciales  
semel singulis mensibus: domuum ve-  
ro Superiores, nec non Novitiorum Ma-  
gistri quolibet trimestri, ac denique Su-  
periores in Indiis, quotiescunque se  
opportuna navigationis occasio offert,  
suo Generali desuper literas dare tenen-  
tur. Præterea ad eundem quoque evo-  
luto quolibet triennio cujuscunque  
Provinciæ catalogi mittuntur, in qui-  
bus cujuslibet Religiosi ætas, vires ac  
naturæ dotes, nec non profectus tam  
in literis quam in virtutibus, ac deni-  
que omnes tam probi quam pravi mo-  
res describuntur, nec minus generalis  
Congregatio eidem quinque Assisten-  
tes ex natione Itala, Hispana, Galli-  
ca, Germanica & Lusitana adjungit,  
simulque Monitorem adjicit, cui data  
est Facultas, ut illum de omnibus ad-  
moneat, quæ minus vel in eo, vel e-  
jus regimine tam ipsi Monitori quam  
Assistentibus probantur. Abs dubio  
S. Ignatius bene perpenderit, quod  
Generalis sua forte auctoritate abuti  
pos-

possent, ut proin illa variis correctio- Sæcul. XVI.  
 num modis, atque opposita auctoritate A. C. 1542.  
 temperanda foret.

§. LXXII.

*Franciscus Xaverius ad Goanum  
 portum appulsus.*

**I**nterim Franciscus Xaverius hyeme Mozambici transacta tandem ad Goanum portum applicuit. Est Goa Indiæ Metropolis ad occidentalem plagam in Peninsula citra Gangem sita, quæ pulchritudine, ac commercio ceteras Orientis urbes longe antecellit, illiusque Episcopus tunc temporis erat Joannes Albuquerque Vir e S. Francisci familia pariter religione ac doctrina celebris: ibi igitur, quamprimum Xaverius e navi exscenderat, mox in regio valetudinario, licet invito etiam Pro-Rege, qui eidem in suo Palatio diversorium parabat, sedem fixit, postea vero Vir Apostolicus Episcopum officiosa salutatione prævenit, eidemque literas Apostolicæ legationis sibi a Papa demandatæ testes exhibuit, atque ad ejus pedes provolutus, ea omnia se ei tradere, nec secus, quam sub Episcopi auspiciis ac beneplacito data potestate se usurum ajebat. Albuquerque

Sæcul. XVI  
A.C. 1542.

cuius tantam Viri demissionem ac modestiam admiratus eundem tenero amplexu honoravit, eidemque Diploma reddidit, affirmans, quod libere ac plene facultatibus sibi a Sede Apostolica datis uti posset.

## §. LXXIII.

*Xaverii labores Apostolici in India.*

*Turfel. 1. 2.  
6. 2. & 3.*

Cum igitur Xaverius ad prædicandum Christi Evangelium legitima frueretur auctoritate, mox ad medendum malis, quæ ipsi graviora videbantur, Apostolicam sollicitudinem intendere cœpit: Unde ægrotantibus in Xenodochio omni ope inservire statuit, ibidemque eo consilio pernoctavit, ut illos Christianæ vitæ præceptis suo exemplo imbueret, eosque ad supremam luctam præpararet: Post meridiem pauperes in custodiis vincetos visitans stipe apud cives corrogata juvabat, nec non circumibat cunctas cum tintinnabulo plateas, parentesque hortabatur, ut liberos suos, servosque ad Christianam Doctrinam dimitterent: postquam vero patrii idiomatis usum satis expeditum habere cœperat, publice sacris concionibus populum turmatim conflu-

fluentem ad meliorem frugem hortatus est, multosque ingeniosis, quas <sup>Sæcul. XVI.</sup> A.C. 1542. charitate Magistra didicerat, artibus, atque obsequiis Christo lucrificat: cum autem Evangelii progressibus vehementer obstaret libidinosæ voluptatis amor, nec non plures simul uxores habendi consuetudo, hæc imprimis mala impugnavit, atque imperio adeo nullis limitibus circumscripto exulare fecit, ut nullus hisce sceleribus implicitus Xaverii conspectum subire auderet; unde plus quam quadringenta præterita ejusmodi connubia ejus jussu irrita declarabantur, ac nefandæ pellicum consuetudines, quibus antea non pauci arctissimis juxta ac fortissimis vinculis erant innexi, feliciter dissolvebantur, adeo, ut tandem in Goano Regno Christianæ Religionis cultus reflorescere videretur.

## §. LXXIV.

*Xaverius Comorinenses Neophytos adjuvans.*

Rebus fidei ita Goæ dispositis Xaverius suam sollicitudinem extendit ad Piscariæ oram prope Peninsulam quamdam, quæ citra Gangem e regione Tenarifiæ Insulæ inter Comorinum

Sæcul. XVI promontorium & Crovensem alveum  
A.C.1543 sita est. Equidem huic regioni jam  
olim Christi fides fuit illata: ast tum  
Pastorum, qui ad hanc gentem mitte-  
bantur, socordia, tum populares tu-  
multus Christianæ disciplinæ vestigia  
ferme penitus deleverant, hinc Fran-  
ciscus in hisce Christianis veræ Reli-  
gionis studium usumque innovare cœ-  
pit, tam prospero laboris successu, ut  
brevis in novum populum excrecere  
cernerentur. Porro iidem ut peren-  
nem haberent Christianæ legis prædi-  
cationem, in patriam linguam præca-  
tiones ac Catholicæ fidei capita verti  
curavit, demumque cuncta ferme tem-  
pla & *pagodas*, seu idola per univer-  
sam oram everti, Ecclesias vero ac Sa-  
cella in cunctis oppidis ac villis extrui  
jussit, accedente Pro-Regis auctoritate  
nec non opitulantibus Lusitanis, qui-  
bus hi populi vectigales erant.

## §. LXXV.

*Ferdinandus Norimbergam ad co-  
mitia delatus.*

Cum interea Christianæ fidei lux tam  
late Indiarum regiones illustraret,  
Religio in Europa gravissimis agitaba-  
tur tumultibus, insuper habitis crebris ad-

adinodum comitiis, quæ pro componendis dissensionibus in Germania habebantur. Tunc temporis Norimbergæ indicta erant Imperii comitia, ac jamjam dies illis præfixa advenerat, unde Ferdinandus Romanorum Rex die septima Januarii anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo tertio eo se contulit, comitantibus illum duobus filiis suis. Accesserat pariter unacum filio suo Atrebatensi Episcopo Granvellanus e Tridentina urbe profectus; ibidem vero Fridericus Palatinus, Episcopus Augustanus & Joannes Navius pro Cæsare legatione fungebantur, nec minus ablegabat suos etiam Oratores Belgii Gubernatrix. Post hæc Protestantes Ferdinando Regi, Cæsarisque Legatis libellum supplicem tradebant, in quo hæc exponebant: *Notum est omnibus, quomodo pax data sit Norimbergæ, & quomodo Camerales eam infregerint quamvis Cæsar nobis Ratisbonæ bene cavisset, suamque mentem explicasset, quomodo sit ibi factum Decretum de emendatione Cameræ, cum autem hucusque nihil sit emendatum, hinc necessitate coacti declaramus, quod nisi res aliter instituat, non possumus Turcici belli consilium ullum habere.*

Sæc. XVI.

A.C. 1543.

Sleid. l. 15.

p. 493.

Sæcul XVI.  
A.C. 1543.

§. LXXVI.

*Ferdinandi responsum ad Protestantium querelas.*

Verum Ferdinandus mox Protestantibus hæc reposuit: *Jam indictum est Tridenti Concilium, in quo cuncta discussi poterunt, verum absque causæ cognitione Cameræ Judices removeri non possunt, ejus tamen emendatio jam est decreta, & propediem instituetur: Henrico autem Brunsvicensi, qui ejectus fuit, sua repetenti non potest jus denegari. Ad hæc Protestantes hunc in modum responderunt: Neque illud Concilium approbamus, neque eo venturi sumus, cum autem de ceteris rebus nobis non satisfiat, nec idonee caveatur, ideo nec deliberationem ullam alio habere possumus. Nihilominus Romanorum Rex, ceterique Ordinum Deputati Decretum promulgarunt, cujus summa hæc est: Munienda sunt loca Turcarum ditioni finitima, eamque in rem, nec non pro bello contra Solimanum quilibet Principum necessarios suppeditabit sumptus, ac denique emendationi Cameræ tertia Julii dies designabitur, ubi ea erit corrigenda juxta formulam Ratisbonæ præscriptam, si autem, qui recusabunt auxilia conferre, fiscali jurisdictioni subjicientur. Verum hisce*

hisce decisionibus Protestantes rursus sese opposuerunt, declarantes, quod illæ non communicato cum ipsis consilio factæ fuissent, aliunde vero nihil certi de pace constitutum, ac propterea in decernendis exactionibus nimia fuisset inæqualitas: cum autem propter Cæsaris adventum bellum instaret adversus Cliviæ Ducem, hinc S. R. Imperii Electores hoc dissidium componere satagebant, ea tamen lege, ut interim Sittardum oppidum, quod prope Mosam in Westphalia situm est, in Cæsaris potestate permaneret, donec lis decisa esset. Hæc conditio etiam ipsis Ducis Oratoribus placere videbatur; cum vero interea haud procul a præfata urbe die vigesima quarta Martii prælium, in quo Dux victor evasit, fuisset commissum, ac aliunde Galliarum Rex Cliviensem ad continuandum bellum vehementer animaret, brevi cuncta pacis consilia evertabantur. Agebatur insuper in hisce comitiis de dissidiis inter Brunsvicensem Ducem & Principes Protestantes exortis, ad finiendam tamen hanc litem Baviaræ Duces suam quidem offerebant operam, verum res indecisa permansit, eoquod in hoc conventu Augustanus Episcopus apoplexia tactus repentina morte sublatus esset,

Sæcul. XVI. cui postea Otho Truchsesius successit.  
 A.C. 1543 Porro Decretum in hisce Comitibus factum neque relatum fuit in tabulas, uti fieri consueverat, nec ullum etiam robur obtinuit.

## §. LXXVII.

*Coloniensis Archiepiscopus Lutheri  
 veneno infectus.*

*Sur. romm. ad hunc ann. Sleidan. l. c. l. 15 p. 49. Chytræus ad ann 1532 Pontan. l. 4.* Paulo post solutum Norimbergensem Conventum Hermanus de Weiden, seu Wida Archiepiscopus ac Elector Coloniensis, qui ex illustrissima Comitum de Weiden familia ortum duxit, Protestantium errores palam professus est. Hic ceteroquin Vir erat non minus morum probitate, quam Religionis Catholicæ studio clarus: cum autem parum doctus esset, facili negotio a quibusdam occultis Lutheri Sectatoribus, qui in ejus aula agebant, seducebatur; hi enim eidem falso exponebant, quod Cleri reformatio a Cæsare Ratisbonæ in Comitibus præcepta præprimis intelligenda esset de quibusdam dogmatibus, ac ritibus, quos ipsi in Ecclesiam contra Dei Verbum introductos, nec non traditiones mere humanas sacris literis fuisse subrogatas ajebant: igitur horum hæreticorum mendaciis deceptus Præsul Mar-

Martinum Bucerum accersivit, eumque anno salutis reparatæ millesimo quingentesimo quadragesimo secundo in Bonnenſi urbe Præconem nominavit, anno autem ſequenti ipſum etiam Melanchtonem, Piſtorium, & quosdam alios celebriores Proteſtantium Miniſtros advocavit, perperam perſuaſus, quod eorum doctrina puro Dei Verbo penitus conſona foret. Equidem Clerus omnis totaque Coloniensis Univerſitas ſeſe perverſo huic conſilio vehementer opponebant; aſt ejus mentem mutare haud poterant, quin imo ad tantam prolapſus eſt pertinaciam, ut in quodam Conventu Religionis normam eſſe immutandam proponeret, ſimulque hæreticis hiſce Miniſtris injungeret, ut quosdam doctrinæ, quam introduci juſſerat, articulos conſcriberent: hunc ergo reformatæ doctrinæ librum ad ſuos Canonicos, nec non ad Colonienses Theologos tranſmiſit, eo fine, ut illi juxta ſacras literas hoſce articulos examinerent, nec non deſuper ſuam ſententiam ferrent. Verum acrius adhuc Archiepiſcopo obluſtabantur omnes, nec ullum aliud dabant reſponſum, quam eidem alium opponendo librum a Joanne Groppero compoſitum, cui titulus erat: *Antididagma*, ſeu Antidotum contra falſæ do-

Sæcul. XVI.  
A.C. 1543.

Sæcul. XVI. doctrinæ venenum. Hunc igitur li-  
 A C 1543. brum suo Archiepiscopo tradebant, sup-  
 plices, ut hosce hæreticos expelleret,  
 nihilque in avita Ecclesiæ doctrina im-  
 mutaret; cum autem is Bucerum, ejus-  
 que Socios dimittere renueret, totum  
 ejus Capitulum ab edictis ac temerariis  
 Archiepiscopi sui ausibus ad summum  
 Pontificem & Cæsarem tanquam Eccle-  
 siæ defensorem provocavit.

## §. LXXVIII.

*Palinodia Francisci Landri a Rege  
 comparere jussi.*

*Steid. l. c.  
 p. 489.*

Sub idem ferme tempus Landrus Pari-  
 siis, Civitatis ad S. Crucem Paro-  
 chus, instructis in eum judicii actis in  
 carcerem conjiciebatur, eoquod ad fi-  
 dei articulos, quos ipsi Facultas Theo-  
 logica subscribendos proposuerat, adeo  
 perspicue respondere recusasset, ut ex  
 inde fidei, quam teneret, puritas elu-  
 cere potuisset. Eapropter eadem Fa-  
 cultas Regem de Landri pertinacia cer-  
 tiorem reddidit, non modo, ut eidem  
 suum erga sanam doctrinam studium  
 testatum redderet, sed simul etiam eun-  
 dem urgeret, quatenus Facultatem in  
 suis piis consiliis adjuvaret. Franci-  
 fcus Rex non sine animi sui lætitia com-  
 mu-

municatam sibi notitiam excepit, ac diebus aliquot postea ad S. Germani castrum delatus Landrum adesse jussit, ut ipse eidem colloqui posset. Hic Regis mandato perterritus vitæ periculum sibi imminere pertimescebat, vixque Regis conspectum sustinens, pertinaciam suam detestari videbatur; unde Franciscus Rex de illius responsis contentus eundem Lutetiam Parisiorum redire jussit, moxque Landrus die vigesima nona Aprilis ad Cathedralē Ecclesiam ducebatur, ubi cuncta, quæ Ecclesiæ Catholicæ doctrinis dissona reddiderat, revocavit.

## §. LXXIX.

*Palinodia Depensii Doctoris.*

Pariter quidam Theologiæ Doctor ex Collegio Navarrico nomine Claudius Depensius Catalauni natus suos errores revocare compellebatur. Hic priusquam Doctoris laurea decoraretur, Universitatis Rector nominatus erat, ac postea a Cardinale Lotharingio, cui hujus Viri merita probe erant perspecta, ad suas ædes accersitus, ibidem Ecclesiæ negotia sibi demandata utiliter gessit; nec tamen hoc munus adeo ejus solertiam occupabat, quo minus suis sermo-

Sæcul. XVI.  
A.C. 1543.

*Sleid. l. c.*  
*Argent. Coll.*  
*jud. t. I. app.*  
*col. I. p. 13.*

**Sæcul. XVI** monibus vineam Domini excolere stu-  
**A.C. 1543.** deret, quamvis hæc ipsa exercitatio  
 eidem non leves creasset molestias; cum enim hoc anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo tertio tempore jejunii verni in Ecclesia S. Merii, seu Mederici paulo liberius declamasset, ob quasdam propositiones, quas tum enuntiabat, ad Facultatem Theologicam deferrebat, ipse autem eisdem Facultatis consilium secutus, die vigesima prima Junii, in quam dies dominica inciderat, in eadem Ecclesia sermonem habuit, in quo quasdam propositiones partim temperabat, partim revocabat; nam jamjam Facultas in eum judicii acta instruere parabat, nec non sexdecim deputabat Commissarios, qui testes exciperent, cum autem Parisiensis Ecclesiæ Poenitentarius, nomine Marsurier, accusatum prius audiendum suaderet, ac pro eo deprecaretur, imo promitteret, quod ipse Depensium adire, eumque eo inducere vellet, ut sine judicii strepitu clam revocaret, hinc annuente Facultate Depensius modo mox recensito palinodiam cecinit.

§. LXXX.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1543.*Calvini institutiones Parlamenti jussu igni traditæ.*

Die decima octava Januarii eadem Facultas censuras contra præcipuos *Argentæ ib. t. 2. p. 133.*

Lutheri errores latas innovavit: Die vero decima quarta Februarii ad preces & consilium Inquisitoris Patres regii Senatus sententiam pronuntiarunt, vi cujus quam plurimi hæreticorum libri ad rogam fuere damnati, quos inter præcipui erant libri de Institutione Christiana a Calvino conscripti, eo quod damnandam, perniciosam ac hæreticam doctrinam continerent, quocirca omnibus Bibliopolis & Typographis inhiberetur, ne ejusmodi libros vel typis imprimant, vel imprimi faciant, aut venales exponant. Præterea indicta poena alias hæreticis infligi solita prohibitum fuit, ne quisquam cujuscunque demum status ac conditionis sit, hosce libros sibi emeret, vel apud se retineret. Porro præter Calvini Institutiones insuper comburi jubebantur libri sequentes: I. *Gesta Regum.* II. *Doleti, Catonis & Crispiani epigrammata.* III. *Exhortatio ad sacra Scripturae lectionem.* IV. *Fons vitæ.* V. *Quinquaginta*

Sæcul. XVI A. C. 1543. *ginta duæ dies dominicæ a Fabro Stapu-  
lenſi compoſitæ. VI. Horæ Societatis  
Pœnitentium. VII. Eques Christianus.  
VIII. Modus conſtendi ab Eraſmo tradi-  
tus. IX. Summa veteris & novi Teſta-  
menti a præſato Doleta Gallice edita. X.  
Melanchtonis opera. XI. Genevenſia Bi-  
blia.*

Præterea exſtat Catalogus diverſo-  
rum, & quidem ſexaginta ſex operum,  
quæ Facultas a Nativitatis dominicæ  
feſto uſque ad ſecundam Maji diem  
examinanda ſuſcepit. Hæc inter no-  
tantur præter reliquos præcipue trigin-  
ta primi Pſalmi Davidis a Clemente  
Maroto Gallicis verſibus concinnati,  
unacum multis Oecolampadii, Melan-  
chtonis, Bucerii, Brentii, Calvinii,  
Lutheri, aliorumque libris, atque in  
fine etiam *Moriæ elogium* ab Eraſmo  
elucubratum damnatur. Hiſce cen-  
ſuris merito etiam adjungi poteſt ſen-  
tentia, vi cujus Facultas *Annotationes  
Pelicani in Commentaria Cæſaris* legi pro-  
hibuit, nec minus vigefima ſexta Se-  
ptembris eadem apud Mathurinos con-  
gregata eorum teſtimonia excepit, qui  
quasdam propoſitiones hæreticas, er-  
roribus, & ſcandalis obnoxias denun-  
tiabant, quas inter aliæ etiam fident  
Catholicam evertere nitebantur. Has  
Fra-

Frater Joannes Bernardi ex Ordine Sæcul. XVI.  
 Fratrum Eremitarum S. Augustini tam A. C. 1543.  
 in suis colloquiis, quam sermonibus  
 proferebat, unde Facultas re mature  
 perpensa præfatum Religiosum feria  
 secunda ad diem primam Octobris ho-  
 ra octava matutina comparere jussit,  
 ut a quibusdam Doctoribus hac super  
 re nominatis interrogaretur, atque ad  
 propositiones, de quibus fuit accusa-  
 tus, responderet. Id etiam postea ef-  
 fectui fuit datum.

§. LXXXI.

*Rami opera per Facultatem dam-  
 nata.*

Ad eandem quoque Facultatem die  
 vigesima Octobris deferebantur duo Argent. t. 1.  
 opera Petri Rami, seu Ramei Philoso- app. p. 13. f.  
 phi, qui ea ætate in Philosophicis di- 2 p. 136.  
 sciplinis tantum profecit, ut artium li- Beza ep 34.  
 beralium Magister creatus cuncta, quæ Ez 36  
 ex Aristotele proponerentur, impu- Hist. Univ.  
 gnaret: cum vero oppugnantium ar- Paris. t. 2.  
 gumenta prospero admodum successu p. 367.  
 eluderet, hujus Philosophorum Prin-  
 cipis doctrinam severius discutere ag-  
 gressus est, hancque in rem præpri-  
 mis duos composuit libros, quibus ti-  
 tulus: *Institutiones dialecticæ, & Aristo-  
 telicæ animadversiones.* Ast tam vehe-  
*Hist. Eccles. Tom. XXXVIII. K men-*

Sæcul. XVI. mentes inde oriebantur tumultus, ut  
A.C. 1543. Petrus Danes linguæ Hebraicæ Pro-  
 fessor, ac postea Vauriensis Episco-  
 pus, nec non Joannes Salignac Theo-  
 logiæ Doctor, ac præter alios Viros  
 doctrina celebres etiam Joannes Quen-  
 tinus Jurisconsultus a Francisco I. Gal-  
 liarum Rege nominarentur, ut Rami  
 sententias, moresque discuterent, po-  
 tissimum eo nomine, quod Antonius  
 Govea Lusitanus, qui suo ævo inter  
 Philosophos facile Princeps erat, Ra-  
 mi fautoribus adversaretur. Hoc igitur  
 anno Christi millesimo quingente-  
 simo quadragesimo tertio Facultas  
 pronuntiavit sententiam, vi cuius Ra-  
 mus Professoris munere fuit exutus,  
 illius vero libri omnino proscripti,  
 eoquod Commissarii, quos Rex hanc  
 in rem nominabat, declarassent, quod  
 in hisce libris ingens impudentia, ac  
 crassa ignorantia deprehendatur, eo-  
 rum vero Auctor in toto Regno tan-  
 quam pestis oppido noxia fugiendus  
 sit. Nihilominus Ramus in Francia  
 permanere permittebatur.

§. LXXXII.

*Colloquium Papæ cum Cæsare.*

Equidem iteratæ hæ censuræ sanio-  
 ris doctrinæ studium, quo Facul-  
 tas

tas in Francia ardebat, testatum red- Sæc. XVI.  
didere: ast non minori zelo Paulus A.C. 1543.  
III. Concilium celebrari peroptabat: *Ant. de Vera*  
cum vero ipsi Cæsari Carolo V., qui *hist. Car. V.*  
in Italiam venerat, colloqui desidera- *p. 230*  
ret, hinc ad eum plures decernebat *Pallav. hist.*  
Legatos, qui eum ad mutui colloquii *Conc. Trid.*  
hac super re habendi consilium incli- *l. 5. cap. 2.*  
narent. Annuit Cæsar, unde Pau-  
lus III. Papa Busetum adiit, quæ  
est exigua urbs Cremonam inter &  
Parmam una leuca a Pado distans,  
atque Orginano fluvio adjacens, eam-  
que urbem Imperator omnino pertran-  
sire cogebatur: Cum igitur Pontifex  
hujus itineris consilium in sacro Pa-  
trum Senatu proponeret, plurium  
Cardinalium opinio eo abibat, quod  
spectata dignitate, corporis infirmita-  
te, gravique senio obviam Cæsari pro-  
cedere Papam minus deceret, præci-  
pue in ea rerum vicissitudine, ubi vix  
ulla secundi exitus spes affulgere  
videretur. His addebant, quod  
Nuntios, qui cum Imperatore age-  
rent, eo decernere magis consultum  
foret: quoniam vero Pontifex ingens  
hujus itineris desiderium præseferbat,  
illud approbantium pars ceteris præ-  
valebat, quapropter Paulus III. nul-  
la nec provectæ ætatis, nec longioris

Sæcul. XVI. itineris habita ratione, spretisque æ-  
A.C. 1543. statis ardentissimæ incommodis Bus-  
 fetum contendit, Romani regiminis  
 cura interim Carpiensi Cardinali reli-  
 cta. Præmiserat Papa duos Legatos,  
 qui adventantem Carolum exciperent,  
 eorumque prior erat Cervinus, alter  
 vero Parisius, quem Tridento evoca-  
 verat, ipse vero Busfetum venit vige-  
 sima tertia Junii, ipsa nimirum die,  
 qua Cæsar unacum Cardinale Farne-  
 sio itineris socio illuc advenerat.

## §. LXXXIII.

*Busfetini Colloquii ratio.*

*Pallav. l. c.* **D**iversabantur ambo in eodem Pa-  
*n. 5.* latio, ubi summus Pontifex alte-  
*Ant. Vera* ra die S. Joanni Baptistæ sacra rem  
*l. c.* divinam peregit, postea vero unacum  
*Belc. comm.* Cæsare ad suum cubile secessit, cum  
*l. 23. n. 33.* autem præprimis de pace sermonem  
 institueret, Carolus ex primo hujus  
 colloquii argumento probe perspexer-  
 rat, se haud temere fuisse suspica-  
 tum, quod Papa eo fine colloquium  
 habere intenderit, ut eum ad pacem  
 cum Francisco Galliarum Rege fir-  
 mandam induceret, quam etiam in  
 rem Grimanus Cardinalis, Vir rerum  
 gerendarum dexteritate celeberrimus,  
 quem

quem Papa secum adduxerat, prolixo admodum sermone Cæsarem ad concordiam hortabatur: Aft in irritum cecidit Cardinalis conatus, eo quod Imperator constanter profiteretur, se nulla prorsus ratione permovendum, ut veniam daret ejusmodi homini, qui in tot occasionibus eum circumvenire molitus esset, proin se pacem minime daturum edixit, etsi eam ipsemet Galliarum Rex supplex ab ipso rogaret. Posthæc vehementibus oppido verbis ulterius mentem suam explicabat, satisque aperte suum a reddenda pace alienum animum ostendebat, speciatim questus, quod Galliarum Rex millenis fraudibus, clandestinis consiliis, ac pecuniis omnes suos conatus eo intenderit, ut Germaniæ Principes, illos quoque, qui ceteroquin Cæsari erant addictissimi, auro corrumperet, eosque induceret, ut relictis Cæsaris partibus arma in ipsum converterent, hancque in rem pacta prorsus proficua ab illo Principibus fuisse proposita, ac reip-sa hoc artificio Cliviensem Ducem fuisse ad arma ipsi inferenda animatum, ajebat Imperator. His quoque subjunxit, quod ad dignoscendam Gallici Regis indolem sufficiat animum re-

Sæcul. XVI.  
A. C. 1543.

Sæc. XVI.

A.C. 1543

flectere ad armorum societatem, quam ipse cum Turcis adeo ignominiose iniit, ut ipsis etiam infidelibus ejusmodi perfidia offensionem esset. Præterea Imperator plura alia adversus Galliarum Regem protulit.

## §. LXXXIV.

*Imperator ad pacem cum Galliarum Rege ineundam a Papa admonitus.*

*Extat in  
act. Consist.  
secret. ab A-  
lex. Farnesio  
Vicecancell.  
M. S. Card.  
Spadæ sign.  
133 p. 4. o.*

Verum hæc Cæsaris rationes Pontifici minus firmæ videbantur, quapropter eidem blandis omnino verbis hæc exposuit: „Auguste Cæsar, perpendas velim, quod nunquam opus magis gloriosum, magisque Religioni proficuum perficere valeas, quam si ejusmodi inimico ignoveris, quem jam antea armis tuis ac magnanimitate debellasti. Nam quam festivis acclamationibus, atque encomiis nomen tuum universa Christianorum respublica celebrabit, si eidem pacem reddideris? Quantum quoque gloriam per universum, qua late patet, orbem tibi conciliabis, si arma tua non in Christianos, sed in Turcas converteris? ipsi etiam Angeli in cælo triumphabunt,

„ bunt, si te Auctore illud idem can-  
 „ ticum audient, quod ipsimet olim  
 „ intonabant in natali illius die, qui  
 „ in sacris literis Rex pacificus nun-  
 „ cupatur. „ Attamen hæc oratio  
 tantopere ad persuadendum efficax nec-  
 dum Cæsaris animum commovebat ;  
 quippe injurias sibi a Gallo illatas tam  
 iniquo ferebat animo, ut ejusmodi pro-  
 positionibus aurem præbere renueret,  
 quapropter triduo post colloquium dis-  
 solvebatur, quin tamen circa nego-  
 tium, quod Franciam spectabat, quic-  
 quam concluderetur, moxque Carolus  
 V. Pontifice valere jusso itineris com-  
 pendio usus, nullibi moram traxit, ac  
 per Tridentinam urbem in Germaniam  
 contendit, Papa vero Romam rediit,  
 cui non alius inde exstitit fructus, nisi  
 quod eorum ora obturarit, qui Papam,  
 si hoc iter non suscepisset, abs dubio  
 fuissent convitiati, perinde ac si con-  
 ciliandæ pacis labori pepercisset.

Sæcul. XVI.  
 A. C. 1543.

§. LXXXV.

*Principum Protestantium Oratores  
ad Cæsarem ablegati.*

Adhucdum Cæsar in Italia agebat, *Steid. l. 15.*  
 cum Brunsvicensis Dux ad eum *p. 494.*

Cremonam veniret, & ad illum con-

K 4

tra

Sæcul. XVI. tra Principes Protestantes, a quibus  
A.C. 1543. sua ditione fuerat exutus, suas quere-  
 las deferret: Cum autem illi literas,  
 quas Imperator Genuæ scripserat, ac-  
 cepissent, simulque Carolum cum exer-  
 citu suo appropinquare intelligerent,  
 mox die vigesima quarta Junii Conven-  
 tum egerunt, ut non modo suos Depu-  
 tatos ad Cæsarem decernerent, sed  
 etiam Brunsvicenses ditiones tueren-  
 tur. Solvebatur hic Principum Con-  
 ventus die vigesima prima Julii, ex-  
 eunte vero eodem menſe Protestantium  
 Oratores scilicet Franciscus Burcartus,  
 Georgius Bemelbergus, Christophorus  
 Veningerus, & Jacobus Sturmus Spi-  
 ram delati sunt, ubi Cæſar paucis ab-  
 hinc diebus advenerat: Admiſſi igitur  
 ad alloquium die ſecunda menſis  
 Aprilis eadem ferme, quæ jam antea  
 Romanorum Regi expoſuerant, repe-  
 tebant, tandem in fine orationis hæc  
 addentes: *Si quidem nobis caveatur de  
 pace, ſique Cameræ judicium emendetur,  
 uti Ratiſbonæ nuper decretum fuit, ſi  
 denique contributionum tollatur inæqua-  
 litas, non deerimus publicis Imperii ne-  
 ceſſitatibus.*

*Responsum Cæsaris ad Protestan-  
tium Oratores.*

**B**iduo post Cæsar hisce Oratoribus re- *Sleid. p.495.*  
sponsum præsentente Granvellano per  
Joannem Navium dedit hunc in mo-  
dum: *Non est, quod amplius requiratis;*  
*satis enim vobis de pace superioribus De-*  
*cretis cautum fuit: Cameræ autem Judi-*  
*ces indicta causa removeri non possunt,*  
*nihilominus mense Octobri de ipsis inqui-*  
*retur, nec impune abibit, si quid in eis*  
*culpæ residebit: pariter contributionum*  
*moderatio, nisi de communi omnium Or-*  
*dinum voluntate ac consilio, fieri non po-*  
*test, unde potius respiciatis ad præsentem*  
*Reipublicæ statum, cumque sit maximi*  
*res periculi, nisi quamprimum subvenia-*  
*tur, hinc reliquorum Ordinum exemplo*  
*Et vos auxilia adversus Turcam confera-*  
*tis: mihi autem nunc est totis viribus*  
*eundem in Galliarum Regem, ac Ducem*  
*Cliviensem, ut meos subditos ab injuria*  
*defendam: cum autem Henricus Brunsvi-*  
*censis suarum ditionum restitutionem vehe-*  
*menter urgeat, quid in ea re vestra sit*  
*voluntas, ostendatis. Accepto hoc re-*  
*sponso Protestantes confestim illud in*  
*tabulas referri, sibi que scripto dari pe-*

Sæcul. XVI. A.C. 1543. tebant. Annuit lubenti animo Cælar, atque ipsi re maturius perpensa Granvellano æque ac Navio hæc exponebant: *Cum de pace nobis non sit satisfactum, Cæsaris declarationem Ratisbonæ factam effectui dari petimus, atque de Brunsvicensis Ducis causa audiri efflagitamus.* His Granvellanus hanc in sententiam respondit: *Hac super re nullum amplius habeo mandatum, nec Cæsar aliter facere potest, nisi vero Brunsvicensis Dux amica compositione restituatur, haud dubie alias inibit rationes, per quas sua recuperabit:* Oratores autem, cum haud amplius obtinere possent, Cæsare valere jussu abierunt, ut de re gesta Principes suos plenius edocerent.

## §. LXXXVII.

*Leges a Mauritio Saxonice Duce latae.*

Steid. p. 492. & 93. **S**ub idem tempus Mauritius Saxonice Dux leges aliquot condidit, quæ deinceps in ipsius ditionibus servarentur, ac quidem primo *populi Doctores & Ecclesiarum Ministros hortatur, ut officium diligenter faciant, pure doceant Evangelium, præluceant honestis vitæ exemplis, hortentur homines ad precationem & mutuum charitatem, vitia reprehendant acriter, &*

refractarios ab Ecclesiæ communione sepa- Sæcul. XVI.  
rent, assentiente Magistratu, donec resipi- A.C. 1543.  
scent: eos vero, qui ne sic quidem emen-  
dantur, Magistratui deferant. Deinde,  
quoniam juvenus est veluti seminarium tam  
Ecclesiæ, quam reipublice, tres literarum  
ludos instituit, Misenæ, Merseburgi, Por-  
tæ, singulisque locis certum numerum attri-  
buit adolescentum, his omnibus victum præ-  
bet atque vestitum, Magistris etiam annua  
stipendia solvit, & in hunc usum applicat  
eorum Collegiorum proventus, in quibus a-  
liquando Monachi vixerant, & id genus  
alii: studiosis concedit sex annos, ut ibi do-  
ceantur: ex iisdem quoque bonis Academiam  
Lipsiensem auget, & amplificat duobus au-  
reorum millibus annuis, & modiis aliquot  
frumenti: mendicationem quoque prohibet,  
& ut subveniatur familiis egenis, pecuniam  
annuam certis locis designat. Posthæc iis,  
qui puellas devirginant, nec in matrimonium  
ducunt, hanc pœnam statuit, ut, etiamsi  
postea illas elocent ac nuptui tradant, in car-  
cerem tamen ducantur: adulteros autem gla-  
dio feriri jubet: Viros nobiles, qui ducunt  
uxores illas, quibuscum antea consueve-  
runt, ita mulctat, ut ipsorum liberis, qui  
nati sunt ante nuptias, bonorum, quæ pen-  
dent ab ipsius beneficio, possessionem atque  
fruitionem adimat.

Sæcul. XVI.

A.C. 1543.

§. LXXXVIII.

*Hildesheimenses coram Cæsare accusati.*

*Sleid. p. 495.* Paulo post illi, qui Hildesheimii quadam inferioris Saxonix urbe agebant, coram Romanorum Rege atque Imperiali Camera per Valentinum ejusdem urbis Episcopum accusabantur, quod abjecta Religione Catholica novos, eosque Lutheri hæresi infectos populi Doctores instituissent, Missaque abrogata antiquæ Religionis Sectatores dire vexassent, imo non aras tantum, ac Baptisteria, sed ipsa quoque templa diruissent, soloque æquassent; insuper iisdem objiciebatur, quod Ecclesiasticorum bona, suppellectilem omnem & Ecclesiæ ornamenta abstulissent, ac non ita pridem ludos theatrales, in quibus Beatissimam Virginem Mariam, Sanctosque spectantium ludibrio exponerent, instituissent, seque Episcopi ipsius jurisdictioni subtrahere moliti essent, ac denique Protestantium fœderi accedentes, Monachos, aliosque ad novam eorum sectam adhibita vi coegissent, eos vero, qui tantum scelus patrare renuebant, in exilium ejecissent. Percepta hac accusatione Cæsar ex

Wor

Wormatiensi urbe die sexta Augusti da- Sæcul. XVI.  
 tis literis, adjectisque gravissimis com- A. C. 1543.  
 minationibus Hildesheimensi Magistra-  
 tui præcepit, ut antiquam Religionem  
 ad pristinum statum reduceret, nihil-  
 que innovaret, donec aliud desuper  
 statutum fuerit.

§. LXXXIX.

*Papæ ac Cæsaris literæ ad Colo-  
 nienses.*

**T**riduo post Cæsar datis ad Colonien- Sleid. p. 496.  
 sem Senatui literis hæc exposuit: Paulus III.  
*Percepimus, quosdam Concionatores in hoc* Brev. ann. 9.  
*totos esse, ut Colonienses Senatores ab an-* p. 48.  
*tiqua Religione dimoveant, quamvis ipsi ad-* Raynald. hoc  
*huc fortiter ejusmodi conatibus resisterint,* ann. n. 22.  
*id quoque permagnæ nobis fuit voluptatis,*  
*unde eos monemus, ut in hoc pio proposito*  
*permaneant, civesque in officio contineant:*  
 In eandem prope sententiam summus  
 Pontifex tum quoque eidem Senatui  
 perscripsit, prima vero Junii die Cathedra-  
 lis Ecclesiæ Capitulo hæc significa-  
 vit: *In ea animi sollicitudine ac dolore,*  
*quem ex Archiepiscopi Coloniensis vesania*  
*percepimus, valde recreamur vestra fortitu-*  
*dine atque pietate, quæ non vobis tantum,*  
*sed & vicinis omnibus perquam salutaris*  
*est: quod enim & amplissima civitas & Pro-*  
 vin-

Sæc. XVI. A.C. 1543. *vincia tota sit incolumis, post Deum immortalem vobis in acceptis referimus: itaque permagnas vobis agimus gratias ob tam strenue navatam operam, ejusque rei perpetuo apud nos futura est memoria: licet enim officium vestrum feceritis, propter rem tamen & exemplum, fatemur nos vobis plurimum debere: verumtamen opus est constantia vel eo maxime, ne, si relanquescere incæperitis, Archiepiscopus, cum forte superior sit evasurus, graviter in vobis vindicet: sitis ergo fortes in defensione nominis divini, & Catholicæ Religionis, & vestrae libertatis atque salutis, quam impius hæresiaracha studet evertere totam atque labefactare, non quidem vobis opus est monitore, sed tamen hoc etiam veluti calcar addere volumus currentibus, rogamusque plurimum, ut operam detis, ne ille, qui sit indignus nomine Archiepiscopi, nobilissimam civitatem contagione sua lædat: neque pro Pastore illum habeatis, sed pro hoste: nos quidem vobis neque consilio, neque ipsa re deerimus.*

